AZ.
CLE III

BIBLIOTECA NAZ.
152
B
60
NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
152
B
60
NAPOLI

23. 7.

110.
E.
56.

152
B
60

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLI ROTII FLORENTINI E SOCIETATE JESU CARMINA, ET ORATIONES.



PATAVII. CIↃ IↃCC XLI.
APUD JOSEPHUM COMINUM.
SUPERIORUM PERMIſSU.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

ANTONIO NICOLINIO

V. C. ex Marchionibus Pontis Sacci & Caſtri Camiliani

CAROLUS ROTIUS
E SOCIET. JESU
S. D.

VIGILIOLAS haſce meas cum ad te, ANTONI NICOLINI, vir præſtantiſſime, mittebam, non me hominum ſive ſermo ſive admiratio, quæ futura fortaſſe eſſet, ſed meum me de te judicium, meæque tenuitatis conſcientia commovebat. Nam hominibus quidem, qui me ad te adſpirare mirarentur, facile me ſatisfacturum putabam, ſi modo quanta mihi tecum neceſſitudo intercederet, aperuiſſem.

Jam tum enim adoleſcens te ſuſpicere atque obſervare cœpi, tuaſque ædes atque inſtructiſſimam Bibliothecam tamquam unus e familiariſſimis celebrabam. Quo quidem tempore memini, te mihi non minus humanitatis ac benevolentiæ tuæ, quam eruditionis doctrinæque impertiri. Poſtea, alio me meæ vitæ rationibus inſtitutiſque vocantibus, ſane longo intervallo dijuncti fuimus: animus tamen meus numquam deſtitit erga te eſſe qui fuerat: ut, quamquam corpore a te abeſſem, memoria tui ac benevolentia non abeſſem. Hæc qui intellexerit, certe non poterit conſilium hoc meum edendarum ſub tuo nomine lucubrationum mearum, aut reprehendere, aut vero etiam mirari. Quod eo etiam minus faciet, ſi, quæ ſit familiæ tuæ nobilitas, qui ſplendor, quantæ opes, quanta dignitas, præcipue vero quam ſingulare tuum erga litteras ſtudium, quantum eorum, qui eas colunt, patrocinium: ut potius mirari homines deberent, ſi alium meo huic libello, te præterito, Patronum delegiſſem. Itaque ſi ſolum hominibus probare meum factum deberem, eſſet certe mea cauſa omnium maxime probabilis atque expedita.

Ve-

Verum eam mihi uni non ſatis probo. Quid enim exiſtimationi meæ minus atque rationibus accommodatum, quam mea ſcripta ei potiſſimum offerre, qui maxime omnium, propter excellens ingenium, ſingularem doctrinam, acerrimumque judicium, poſſit præter ceteros, quæ & quanta iis ſubſint menda, deprehendere? Equidem miſeros ſemper exiſtimavi ſcriptores eos, qui nonniſi ab indoctiſſimis legerentur; multo tamen miſeriores eos, qui quum indocti ipſi eſſent, in doctiſſimorum manus deveniſſent. Etenim illi vel laudem fortaſſe aliquam, vel certe nullam vituperationem aſſequuntur: hi certiſſimam effugere reprehenſionem non poſſunt. Quo in genere per mihi ſcitum ſemper viſum eſt quod apud Tullium (*lib.* 2. *de Orat. cap.* 25.) ſolitum eſſe C. Lucilium dicere L. ille Craſſus diſertiſſimus Orator commemorat: *ſe ea, quæ ſcriberet, neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe quam ipſe.* Hæc mihi ſcilicet nota ſunt, ac valde etiam probantur: ſed facio aliter, ac video eſſe faciendum: qui, quum judicium tuum, hominis, mea ſententia, doctiſſimi, vehe-

menter verear ac reformidem, non tamen defugio, eique potiſſimum legenda hæc mea ſiſto, a quo uno legi ea, minime mihi expedire intelligo. Sed quid facias? Valet plus apud me obſequii mei, quam exiſtimationis ratio: nec, modo tibi officium meum conſtet, recuſo, quominus aliquid de mea fama detrahatur. Tu vero quo me minus de me laborare animadvertis, eo id, quod facio, amantius factum eſſe exiſtimare debebis, meumque ſtudium ſive retinendæ, ſive revocandæ veteris neceſſitudinis non adſpernari. Me quidem hoc perpetuæ erga te obſervantiæ amicique ac grati animi qualecumque monumentum apud omnem poſteritatem exſtare numquam pœnitebit. Vale.

Florentiæ Id. Septembr. MDCCXL.

CAROLUS ROTIUS
E Soc. Jesu
JO. ANTONIO VULPIO
S. D.

PARVA *mei tibi quod mitto monimenta laboris,*
Orans, ne formis imprimere illa neges,
Formis Comini egregiis, quas ſcilicet ipſæ,
(Ut nihil invictæ laudibus Auſoniæ
Deſit, & Euganeis decedant cetera prelis,)
Argutis Charites extuderunt manibus;
VULPI, *nolim equidem temere hoc feciſſe videri,*
Nec, quid quemque æquum eſt poſcere, noſſe ſatis.
Lenta quis ignorat docti faſtidia preli?
Nanciſci tantum vix potuere decus
Eximii Vates, & Phœbo digna locuti,
Flaminii, & cœtus lumina Apollinei,
Naugerii, Cottæque, & felix Muſa Zanotti,
Felix in libri parte recepta tui;
Atque alii, quorum vulgata poëmata dia
Paſſim avidæ emtorum diripuere manus.
Quod quum ita ſit, tibi me cupiens purgare, quod auſim
Rem tantam paulo mî expetere improbius,
Non longum faciam, &, fuco procul ablegato,
Condita non falſi pectoris evolüam.
Ergo incredibili famæ tangebar amore
Jamdudum, & tenui quamlibet ingenio
Blanditus tota cupiebam mente mearum
Fœtus in lucem expromere Pegaſidum:
Verum idem metuens, ne dira oblivio vixdum
Emiſſos Orci mergeret in tenebras,
Contemtique meum ſcriptoris aranea nomen
Oblitum turpi ſtamine prætegeret,

Hæ-

Hærebam, incertuſque animi jactabar, ut olim
Deprenſa in magno cymbula Carpathio,
Quæ, temere huc illuc æſtu ſalis occurſantis
Propulſa, alterna fluctuat uſque vice,
Vectorumque manus ſuccuſſibus exſternata
Languet inaurata pallidior ſtatua.
At bene conſuluit trepidanti Phœbus Apollo,
Qui facilem noſtra ponere ſede pedem
Viſus, compoſitum dum me ſopor occupat, & nox
Jam ruit exactis humida ſideribus;
Quo tantas, ait, uſque moras? numquam ne ſub auras,
Quod premis injuſta nocte, feretur opus?
Nam quod tu metuis doctis oblivia chartis,
Cautum eſt: quem nôſti, VULPIUS *ille meus,*
VULPIUS *Euganei flos ille & fama Lycei,*
Cui decorant ſanctas incluta ſerta comas:
Qui corrupta ſitu magnorum ſcripta Virorum
Promens indignis vindicat e tenebris,
Affert & Latiis hac tempeſtate Camenis,
Quantum quiſquam unus navus & experiens
Olim (quum fera colluvies infuſa Getarum
Ab! miſera longum ſedit in Auſonia)
Iſdem ſi auxilii retuliſſet, non ego fleſſem
Amiſſas Artes ſtirpitus ingenuas,
Exſtinctumque decus Latii, atque data omnia peſſum
Obſcenæ diro turbine barbariæ.
Hic igitur, tibi quem narro, qui moribus idem
Aureis, & miti præditus ingenio eſt,
Si modo te tanto facilis dignetur honore,
Ut tua ne prelis carmina ſubjicere
Abnuat, immortalis eris; nam quod ſemel acri
Adprobat expenſum lance, perennat opus.
Dixerat, inque auras cedens evanuit. Atque hæc
VULPI, *prorſus uti dictaque, factaque ſunt,*
Candidus expoſui. Nunc o tua gratia, ſi me
Purgatum ducis ſat tibi, reſpiciat.

AD BEATAM VIRGINEM

In die feſto Purificationis.

ERGONE vulgares inter luſtranda maritas
Virgo Palæſtinæ templa Sionis adis?
Parce viæ: non ulla tui ſunt februa partus;
Serviat his matrum cætera turba ſine.
Non tua par ratio: cupide licet omnia quærat,
Nil, te cur poſſit carpere, livor habet.
Amiſſos, puto, Virginitas tua quærat honores,
Quæ magis a partu nobilitata nitet.
Muta, viden'? natura pavet, convulſaque rerum
Miratur magno jura puerperio.
Vidit & hoc Moſes, qua tempeſtate bidentes
Paſtum Jethræis egerat e ſtabulis,
Tum quum viſa viro eſt innoxia ſerpere lapſu,
Auſa nec ardentes urere flamma rubos:
Idem etiam, ne forte putes te lege teneri,
Cavit mirandi conſcius augurii.
Semine ſuſcepto fœtis purgamina ſunto;
Sic ait, & latæ formula legis habet.
Quod ſi forte tuos nil tangunt talia ſenſus,
At certe famæ conſuluiſſe decet.
Unane multarum cenſeberis illa Tonantis
Illa nec amiſſa Virginitate, Parens?

Quiſ-

Quiſquis & occurrat venienti, nempe notatam
  Te quoque communi labe fuiſſe putet?
Ah ne te mediis immiſce femina princeps
  Matribus, incœpto parce, referque pedem.
Sic ego. Sic contra reſpondit regia Virgo;
  Dum loquitur, tenerum ſpargit ab ore jubar.
Nil agis: incœpto nec terreor: omnia cedunt
  Vana; per has leges Mater oportet, eam.
Durius humano ſi judicer ore, feremus:
  Laus mea ſub magno Vindice tuta manet.
Viderit hæc ſi quis, non me diſpendia famæ,
  Dum Cœlo dicar grata fuiſſe, movent.
Neve adeo Mariam (ſuperûm modo certa voluntas)
  Pœniteat totis erubuiſſe genis.
Nam quod mî leges Moſes non dixerit ullas,
  Gratum eſt, & facili, quod datis, aure bibo.
At puto, qui Matri leges non dixerit, idem
  Suſtinuit Nato dicere jura meo.
Nec minus injuſſo gaudens ſuccumbere cultro
  Suſcipit octava non ſua ſacra die.
Et vaga contemnens injuſtæ murmura famæ
  Magno primitias obtulit ille Patri;
Exemplumque dedit, ne quis dum numina placat,
  Inſpiciat ſolas acrius in tabulas.
Ergo quum legi, quamvis non ſubditus, ille
  Serviat, id Matrem, ſtulte, decere neges?
Dixerat, & Templi foribus (dilectus Iöſeph
  Pone ſubit) niveos intulit illa pedes.

AD S. SIMEONEM.

Rumpe moras, Simeon: viden'? ut luſtralibus undis,
  Spargitur, æternum quæ tulit alma jubar?
En Puer: en longum tota quod mente cupîſti:
  Paſce oculos: voti copia facta tui eſt.

Nec

Nec vidiſſe ſatis: licet in tua brachia tollas,
  Præmia promiſſis uberiora ferens.
Fortunate Senex: poſt talia gaudia nempe
  Non immaturum mortis adibis iter!
I felix: maneſque ima tellure repoſtos,
  Quorum ſpes animos longa perurit, adi.
Juſtus Abel, magnuſque Abras, ac vulnere Jacob
  Tardior, & Moſes, Jeſſiadeſque Pater;
Multaque præterea ſanctorum turba Virorum
  Occurret feſtis excita liminibus.
Tum dabit amplexus; atque oſcula dulcia figens
  Ecqua ſibi portes omina læta? roget.
Ergo ubi diſcendi ſtudio glomeretur, & arcte
  Circumſtet medium te pia turba Patrum,
Narres, ut Cœlo nuper demiſſus ab alto
  Ille tot ætatum vota, laborque Puer
Venerit: afflictam qui longa ſolvat Idumen
  Compede, qui luctum tergat, agatque procul;
Qui cæcam expellat noctem, qui fortia bella
  Pugnet, & Iſacidum nomen in aſtra ferat.
Quin etiam in Templo, veteri quum februa more
  Suſciperet certo tempore magna Parens,
Hiſce oculis illum venientem, dicito, vidi,
  Vidi illum, amplexu continuique meo.
Libavique genas, atque oſcula mollia carpſi,
  Oſcula per longas ingeminata moras.
Addas, & poſitum late fulgentibus aris,
  (Audiat hoc noſtri ſanguinis auctor Adam)
Oblatumque Patri Infantem, ac mercede redemtum
  Exigua, ut cunctis jam bene poſſit emi.
At tu dum medio referes hæc læta Senatu,
  Læta, nec auditu cognita, quantus eris!
Lætitia, plauſuque fremens pia Curia Patrum
  Annuat in verbis pondus ineſſe tuis.
Intentuſque hærens Vatum chorus, omnia penſet,
  Conſonaque auguriis ſentiat ire ſuis.

At-

Atque aliquis forſan tabulis gaviſus apertis
(Adſtruat ut dictis pagina lecta fidem)
Edoceat, narrata ſibi multo ante fuiſſe
Cognita, quoſque legas, indicet ipſe locos;
Teque recognoſces, cupidiſque intentus ocellis
Lætitiæ releges præſcia ſigna tuæ.
Ergo age, & ad manes felicia dicta reportes;
Gratior in toto non erit umbra choro.
Interea Pario conſtructa e marmore moles
Surgat, honorato quæ tegat oſſa loco.
Abſint pallentes larvæ, nudiſque rigentes
Oſſibus, & miris triſtia ſigna modis.
Læta decent: tumuli ſuper aggere ſancta Voluptas
Rideat, & manibus florea ſerta gerat.
Hanc circum volitent roſeis bona Gaudia pennis,
Et Jocus, & Riſus labra decenter hians.
Ipſe autem læti media ſub parte ſepulchri
Stabis inaurato conſpiciende ſinu.
Lucentes faciam vultus, lacrymaſque beatum
Quæ deceant, ſanctis molliter ire genis.
Eque tuis faciam Puerum pendere lacertis
Tendentem parvas ad tua colla manus.
Jam ne forte oculos tumuli nova forma moretur,
Grandibus incidam talia verba notis:
HIC. SITUS. EST. SIMEON. CAUSAM. ET. SOLATIA. LETHI
CUI. DEDIT. IN. TERRIS. PUBLICA. VISA. SALUS.

SANCTO FRANCISCO XAVERIO

pro Salute Regiæ Serenitatis FRIDERICI
Principis Electoralis Saxoniæ Vota.

DIVE, fave: tuus ecce Cliens, tibi deditus uni,
Plus oculis qui te diligit atque anima,
Qui te longinquis veneratum venit ab oris,
Spes Regni, Patris gloria, Matris amor,
Saxo-

Saxoniæ Princeps FRIDERICUS, Regius Hoſpes
  Ingreditur, templis procubuitque tuis.
Aſpicis ut totis inhians te ſenſibus, aram
  Obſidet, & cupida te ſibi mente vocat?
Nempe rogat, ſibi poplitibus qui lentor inhæſit,
  In Tibrin per te, Dive, ſolutus eat.
Quem non pæoniæque artes, ſtudiumque medentum,
  Balſamaque, & docta pharmaca miſta manu,
Tota nec Inarime Bajarum maxima arenis,
  Aut lympha potuit vincere ſulphurea;
Dive, tuo ſperat nutu deponere morbum.
  Hanc ſpem non animis auferet ulla dies.
Et potes, & meruit. Non te (quando omnia nôſtis
  Cœleſtes) laudum longa per orſa morer.
Tantum oculos, vultumque notes, habitumque precantis:
  Nempe unum e veſtro dixeris eſſe choro.
Quare age quid ceſſas? quod te rogat, annue præſens,
  Annue, neu dura longius ure mora.
Te meminiſſe decet, tunc quum mortalis agebas,
  Nec tantus, quantus nunc es in Orbe, fores:
Ut ſacris per te luſtrata Aurora Latinis
  Obſtupuit tantis pallida prodigiis.
Illa etenim fuſaſque acies, & jura procellis
  Impoſita, & trepidis addita frena Notis,
Flammaſque e Cœlo, tempeſtateſque vocatas,
  Et Phœbi juſſos condere lumen equos;
Illa etiam peſtemque & morbos vidit abactos,
  Redditaque attonitis corpora functa focis.
Hæc, & plura olim: nunc te quum Regia Cœli
  Accipiat lætis ſedibus Indigetem,
Quum tantus late regnes, & nota ſit illa
  Qua potes, ætherio gratia rara foro,
Ut tabulæ, & paſſim voti argumenta potentis
  Dona tot e ſanctis poſtibus apta docent;

Unius

Unius affecto depellere corpore morbum,
  Supplicis, immenſi, credo, laboris erit.
Aſpice, Loiolidum tua gens quoque, pervigil uſque
  Retius & toto pectore ſollicitus
Hæret, & in longum fletu tibi ſupplicat, & quum
  Saxonidum meritis ſe neget eſſe parem,
Solvendi pro ſe partes tibi, Dive, relegat;
  Et merito: ad veſtras tutius itur opes;
Summaque ſit quamvis alieni maxima, vobis
  Defungi facili conditione licet.
Te volo, ſi dicas, Friderice, valere: repente
  Ille valet, grates & tibi ſoſpes agit.
Ah precor, ah! tali jam nunc bonus utere verbo:
  Pendere ex illo publica vota vides.
Ite alacres! quantum populorum Viſtula & Albis
  Ambit, cærulea fertilis omnis aqua;
Xavier ingenio ſic eſt mihi credite; ab illo
  Non unquam rediit irrita turba domum.
Ite alacres! lætiſque onerate altaria donis,
  Quodque cupit tribui, jam ſibi quiſque roget.
Auguror: optatis Friderico quiſque ſalutem:
  Nec quiſquam majus, quod ſibi poſcat, habet.
Sic eſt, magne Pater; multos ſervabis in uno:
  Res eſt præ cunctis digna favore tuo.
Quis ſcit an & tanto gratus pro munere, cauſas
  Irarum oblitus, diſſidiumque vetus,
Et placidam accipiens mentem mitiſſimus Amnis,
  Amnis ab Hercyniis ſaltibus exoriens,
Qui Dreſdam, floremque arctoi interfluit orbis;
  Auſonii quondam terminus Imperii;
Albis io tandem, pacis te, Dive, ſequeſtro,
  Antiqua diſcat Tibrin amare fide.
Fallor? an Auguſtæ Triadi deſcribitur ædes?
  Cœlo operis formam deſiluiſſe reor:
Dreſda, fave, tibi ſurgit honos. Ignoſcite ſaſſo,
  Templa Atavûm, tanti veſtra ruina fuit.

Huc

Huc Paros, & Lygdos, huc ſaxa virentia mittit
  Tænaros, & roſeo picta colore Nomas.
Dî bene, quod rivis argenti plurima manas,
  Miſnia; non peregre quærere oportet opes.
Sudet io Cyclops, patriiſque excocta caminis
  Artificum ſubeat lucida maſſa manus.
Partem opere in tanto, nec parvam, tu quoque habebis,
  FRANCISCE, a magno prima Tonante ferens.
Nempe indonatum pietas te Regia linquat
  Auguſti, tantum ſuſcipiatque nefas?
Ille tuæ Regnum fidei concredidit. Ille
  Auctorem dubiis te ſibi rebus habet.
Auſpice te ſumit, te ſumta reponit & arma,
  Deque tuo legio nomine dicta ſibi eſt.
Idem etiam, ut de te ſoboli cognomen adoptet,
  Quamvis ingentes ſpernere gaudet avos.
Cætera quid memorem? quam ſit tibi deditus, & quam
  Te ornare uſque novis muneribus cupiat;
Non ullo monſtrante tenes. Nunc quæ nova porro
  Dona dat, accipias qualiacumque, rogat.
Ingens Œbaliis alte ſuffulta columnis
  Ara fit: e Cœlo te quoque adeſſe decet.
Dic, bone, dic Divos inter mitiſſime, in auro
  Effingi docta qualis ab arte velis?
Ipſe equidem nolim talem te effingere, qualis
  Spectari vulgo qualibet æde ſoles,
Aut plebem inſtituens ſacris, aut flumine ſancto
  Aſpergens Regum tempora Bungalidum,
Aut etiam qualem morientem, ah! vidit in antro
  Inſula Sinarum proxima littoribus.
Hæc vetera, & nulli non viſa, aut cognita: major
  Non prius oſtenſis gratia rebus ineſt.
Aureus in medio ſtabis mihi; dextra decenter
  Sublata in morem fauſta precantis erit.
Ante pedes faciam natum procumbere, ſignans
  HOC. PRO. COMMISSA. RELLIGIONE. PATER.

Hæc

Hæc eſto nova forma operis. Ne, quæſo, moreris
 Artifices. Viden' ut turba parata venit!
Quare age, dum ſacras pendens Fridericus ad aras
 Non ulla laxat vota preceſque mora:
Dum Pater Auguſtus, dum Regia Mater, & omnis
 Omnis Saxonicæ turba novella domus;
Dumque Ignatiadum tota cum Gente Magiſter,
 Romaque pro charo Principe vota facit;
Exere, io! dextram, dextram tot mira patrare
 Aſſuetam, & Juveni fauſta precare pio.
Si quid id eſt, gemmaſque etiam circumſpice, & aurum,
 Unde recens illi ſplendor, & auctus honos;
Scilicet hoc miſſo tibi munere Regia Mater,
 Qua licuit, ſtudium teſtificata ſuum eſt.
Illa tibi noctes vigilans operoſa laborat,
 Et textum phrygia ſedula pingit acu.
Aſſiſtunt natæ circum data penſa trahentes,
 Inter quas tenui ſic ait ipſa ſono:
Mittenda hæc Domino (nunc o nunc promite vires)
 Quam primum noſtra munera facta manu.
Forſitan officium famulæ dignatus inertis
 Et nos, & ſolito noſtra favore tegat,
Forſitan & (ſed enim tanto haud me dignor honore,
 Et mora prodigiis ſunt male facta mea)
Sed tamen illius ſi munere ſoſpes ab Urbe
 (Innocua o Matri turba feratis opem)
Si ſoſpes Latia meus ille rediret ab urbe,
 Tunc ego, tunc illo ſoſpite quanta forem!
Deſinit in lacrymas; atque his quoque, non modo gemmis,
 Jam tibi mittendum ſcilicet ornat opus.
O Pater, o ſuperûm mitiſſime! lente videre,
 Hos Matris fletus lente videre potes?
Parce metu, frontemque exporrige, Regia Mater:
 Mox certa liceat dicere voce, Valet.

AD

AD LAURENTIUM TOSIUM
Soc. Jesu.

ARGUMENTUM.

Noſtri Juniores ii qui Romæ habitant ad Sancti Andreæ in Quirinali, ubi poſito jam tirocinio in Rhetoris diſciplinam traditi ſunt, ſolent per Autumnum, ſive religioſæ humilitatis cauſa, ſive ad remittendam pauliſper contentionem in ſtudiis, alii aliud ex iis muniis quæ Fratrum rei domeſticæ adjutorum propria ſunt, ad certum tempus curare. Itaque Auctor, cui januæ procuratio commiſſa fuerat, Præceptori optimo, & ſuaviſſimo Viro Laurentio Toſio hos ſcripſit elegos, quibus laborem ejus muneris, moleſtiamque perſequitur.

NOLI admirari, Tosi ſuaviſſime, cur te
  Alloquor hoc demum ferus epiſtolio,
Quamquam non ita pollicitus; quum Tuſcula Tempe
  In baculo, & curta lucidus endromide
Jam peteres, mannis rapientibus eſſeda, quales
  Prognatos Boreæ ſemine crediderim;
Sed fore uti crebro te carmine compellarem,
  Officium ſcripto teſtificante meum.
Non (mihi ſi quidquam credis) ſtudioſa voluntas,
  Sed ſpatium juſto defuit officio.
Nam quæ mî ſuperat requies, qui limina cogor
  Servare, aſſidua janitor in ſpecula?
Munere in hoc magnum ſi quis poſuiſſet Homerum,
  Non verſas Aſiæ res, Priamique lares,
Erroreſque vagi nunquam legeremus Ulyſſei,
  Circæaſque artes, Parthenopeſque dolos.
Dextra tenet calamum, ſtrictas manus altera claves.
  Porta crepat, cœptum dextra relinquit opus.

Arripio rurſus calamum, vix littera ducta eſt,
  Impacta rurſus perſonat icta manu.
Ter quater aggredimur cœptum perſcribere verſum,
  Multo, quam dudum, fortius increpuit.
Unde (malum) dixi pulſandi tanta libido?
  Quiſquis es, ad clauſas opperiare fores.
Non me mille boves ſperetis poſſe movere,
  Quam veniam, membris dividar ante meis.
Sed tamen accurro, clavemque in pariete jactans,
  Inviſas verſo cardine pando fores.
Ecce tibi obſeſſum limen, confertaque turba
  Se premit, ad potum ceu glomerantur aves.
Incipio varias veniendi diſcere cauſas:
  Quum doceor, leviter dixeris, hora perit.
Ille ut ſecretos liceat luſtrare penates,
  Viſaque non unquam diſcere tecta domus:
Ille & floriferi pervadere ſepta vireti
  Uſurus cœlo liberiore, petit.
Congreſſus petit hic, alii mandata requirunt,
  Atque alii, quæ ſint dicta ferenda, docent.
Eſt etiam qui verba mihi furtivus in aurem
  Inſtillans, turba ſevocet e media.
Singula vix tandem curâ digeſta fideli,
  Ad quos mittuntur ferre referre paro.
Vix ſumus in curſu, vix latum cedimus unguem,
  Jam me qui revocent alter, & alter erant.
O mihi, ſiqua Dea es, Patientia, neſcia frangi,
  Præſenti firmes debile pectus ope.
Janua paulatim deferbuit: at mihi reſtat
  Luſtrare immenſam, qua patet uſque, domum:
Principio ingentes ſcalarum erepere tractus,
  Proximaque ætheriis culmina cœlitibus.
Gratia Dîs, ſuperas, nec rupti, aſcendimus ædes,
  Ingredimurque æquo per ſola plana gradu.
O bone, vidiſtin' (quem feſſus quæro) Metiſcum?
  Ille nihil: mutum, marmoreumque putes.

Tiro

Tiro fuit: ratio me fugerat: obvius ecce
  Aſperſus canis tempora Gallus erat;
Atque ultro, Noli, dixit, te rumpere curſu:
  Extrema hortorum parte Metiſcus agit.
Damnatæ claves, & diri muneris arma,
  Ah pereat, qui vos extudit arte faber!
Malim Siſyphio protrudere ſaxa labore,
  Malim Ixioniæ vincula ferre rotæ.
Tantum iter exhauſi, quantum nec Myſia mater
  Amiſſam quærens anxia Perſephonen.
Atque aliquis clamat, Quo me decet uſque teneri?
  Eſt mihi, ſi neſcis, Tranſtiberina domus.
Sit tibi trans Tanaim licet uſque, Hebrumque nivalē,
  Aërium poſſum non ego carpere iter.
At bene habet: gratare mihi, mandata peregi:
  Quiſque abit, & duram poſtibus obdo ſeram.
Tum geminas cœli tendens ad ſidera palmas,
  Jam mihi, ni fallor, mollior hora venit;
Humenteſque mihi crines, & roſcida colla
  Appoſita ſiccans terque quaterque manu.
Diſperſos video calamos, ablataque vento
  Scripta jacere, litis horrida litterulis.
Jam repeto ſumtis penſa intermiſſa tabellis.
  Fallor? an impulſæ ſigna dedere fores?
Scilicet impulſæ ſonuere procacibus Euris:
  Hæc juvet, & Muſis aura ſecundet iter.
Sic ego: quum ſubito repetitis ictibus auris
  Tunditur: in medio deſero vela mari.
Audio regalem ſtrepitum, lapſumque rotarum,
  Eſſedaque immiſſis currere prona jugis.
Attonitos refero poſtes; cauſamque roganti
  Affertur ſubito nuncius horribilis:
Arctoa qui gente venit properare Dynaſtam
  Viſurum ſanctæ templa laremque domus.
Panduntur geminæ ſtridenti cardine valvæ:
  Nec mora: jam famulantum obruit unda fores.

Æra ſonant: propere, Jam venit, currite, clamo,
  Aſpicias rapta currere quemque toga.
Ventilat hic humeris præpoſtera pallia: pendens
  Huic fluit ad lævum zona recincta latus.
Jamque Patres facta medium excepere corona:
  Ille præit, comitum ſubſequiturque manus.
Multa rogat, lenteque incedens, ſæpe reſiſtit,
  Perluſtratque vagis omnia luminibus.
„ Hæc domus, hæc ſedes; hæc ſunt veſtigia Kostkæ:
  „ Hic habitus Divi jam morientis erat.
„ Hic ſtetit, & fugientem animam languentis ab ore
  „ Virgo legens, ſanctum ſuſtulit in gremium.
„ Illa ſepoſiti tirones parte morantur:
  „ Hanc tirocinium qui poſuere, tenent.
„ Hic & diſpoſitos aſſervant ſcrinia libros,
  „ Illaque formandis moribus aula vacat.
Ecce autem inſtratis petitur cœnatio menſis:
  Vincunt Sithonias lintea longa nives;
Poculaque alterno lucent acheloïa Baccho,
  Atque errant mundis intuba fictilibus.
Omnia laudarat: demum diſcedere credas,
  Verbaque jam certe digredientis erant.
Hæret, & O dixit, nunc me, nunc ducite, qua ſe
  Vindicat oppoſita veſtra culina fera;
Atque ita ſubridens illuc veſtigia flectit:
  Spumabat freſſis teſta leguminibus.
„ Nobiſcum licet eſurias, niſi forte moleſtum eſt: „
  Sic ait, a læva qui prope Præſes erat.
Miratur purumque ſolum, menſamque nitentem,
  Compoſita & Samio lucida vaſa luto;
Idem etiam pelves, Dodonæoſque lebetes
  Hærens per ſummos computat articulos.
Reſtabat, credo, cœnæ tentare ſaporem;
  Ohe quam longas traxit ubique moras!
Sol ruit, & parva curſans cum lampade tiro,
  Accendit trepidâ lumina ſera manu.

I nunc

I nunc invigila ſtudiis, Phœbumque laceſſe:
Mî ſuper e ſolido pars quota lucifero eſt?
At puto fructus adeſt: redeunt compendia nautæ,
Feſſus ubi Cypria nave peregit iter.
Nec, qui difficiles pacavit vomere terras,
Non ullo meſſem fœnore cultor habet.
Fructus adeſt certe, fructum ſi forte vocaris,
Vix me ſub noctem poſſe referre pedem;
Quumque dedi ſomno ſeptem non amplius horas,
Colla iterum infando ſubdere ſervitio.
Ignoſcas igitur, Laurenti candide, neu me
Immemorem ſancti duxeris officii.
Grandia lethæos non ſi ducentia ſomnos
Exhauſta ad ſiccum pocula fæce traham,
Nec, Pyliæ mihi contingant ſi fata ſenectæ,
Canaque Cumææ ſæcula Deiphobes;
Poſſit tam meriti capitis mihi tempore in ullo
Excidere oblitis gratia pectoribus.
Tu me Pierias deducis primus ad artes,
Imbuis Aſcræis & rude pectus aquis;
Altaque divini monſtras ſecreta Maronis,
Candidus aut quo ſe calle Tibullus agat;
Idem Romuleique doces Demoſthenis arma
Tractare, & Latio verba tonare foro.
Sed non plura vacat: Pater optime, vive, valeque.
Avocor: impulſæ concrepuere fores.

AD FRANCISCUM GRIMALDUM

Societatis JESU, *a quo Auctor chocolate donatus fuerat.*

O QUEM cuncta decent caſtarum ſerta ſororum,
GRIMALDE, Aonii flos, & alumne chori:
Forte roges quid ſit, noſtro de pectore quare
Nunc fluat aſſueto vena beata magis:

Non me Calliope, non me reſpexit Apollo
Blandius, aurata nixus ad antra lyra;
Nec Methymnæi faciunt hoc pocula Bacchi:
Scis mihi quam ſolæ pæne bibantur aquæ.
Ingenium, vireſque novas (ne neſcius erres)
Illa tuæ faciunt unica dona manus.
Ante (fatebor enim) quum nec ſuper uncia tota
Glandis ab occiduo quæ venit orbe, foret;
Vix poteram quamvis meditando extundere verſum,
Neſcio qua triſti mole premente caput;
Suſpectuſque fuit, tota qui nuper in Urbe
Bacchatus, pluvias Auſter agebat aquas.
At nunc ambroſios adhibens te dante ſapores
Excitor, hibernos abſolüique Notos;
Nec piget Aoniam propellere in æquora puppim
Dantem carminibus lintea plena meis.
Ut mihi ſe faciles præbent in carbaſa venti,
Poſſum ego Mæonio proximus ire Deo:
Poſſum felici comburere carmine rurſus
Ilion, & juſta Pergama flere tuba.
Verum, age, dic, tales nobis facientia vires
Liba quis hæc doctæ temperat arte manus?
An Grimaldeæ felicia munera gentis
Detulit æquorea nauta Liguſcus aqua?
Sebetuſne magis patriis ſubmiſit ab oris?
Ut taceas, nil me fallis, amice, tamen.
Novi ego: pace tua ſit fas arcana ſub auras
Prodere: me, quæſo, teſte negare potes?
Nox erat: Aonidas vidi per ſomnia noctis
Vidi operi artifices exhibuiſſe manus.
Quarum inter cœtum præſens hortator Apollo,
Nunc opus o veſtra, nunc, ait, arte, Deæ!
Liba meo Vati properanda: haud carior alter
Sit mihi, nec veſtro dignior officio.
Seu canat urbanæ legeſque & munia vitæ,
Seu privata regi qua decet arte domus;

Sive idem ingreſſuſque aulam Regumque potentum
Limina, inoffenſum monſtret honoris iter;
Illum, quidquid agit, felix induſtria vulgo
Eximit, antiquis adnumeratque viris.
Ergo agite, & fruges divini Vatis in hauſtus
Certatim pro ſe ſedula quæque paret.
Hæc qui mane novo, qui veſpere pocula ſero
Ducat, Apollineum nôrit adeſſe Deum.
Dixerat; una omnes præcincta in veſte ſorores
Jungunt ſollicitas ad data penſa manus.
Illa videbatur prægnantes unguine glandes
Eligere: ante pedes grandis acervus erat.
Hæc lectaſque igni torrere, & ſtrenua ſaxo
Frangere, diſcuſſis ante putaminibus.
Pars ſubigit, maſſamque domat: pars corpore toto
Cinnamon, & docta miſcet amoma manu.
Fervet opus, laudatque Deas pater ipſe: tueri
Lætus ego intentis omnia luminibus.
Nunc mihi odoratas videor contingere quadras,
Nunc totis inhians ſenſibus olfacere,
Idemque ambroſiam furtim decerpere maſſam
Haud ſemel ingeſtis improbus unguiculis.
Hæc inter diſcuſſa quies: ſimul anxius omni,
Siqua foret, quæro quadra relicta toro:
Singula ſcrutanti nulla eſt inventa: dolebam
Amens, nec ſomni cognitus error erat.
Quum bene depulſus ſomnuſque, errorque fuere,
Ilicet impulſæ mî crepuere fores.
Ecce tibi Lycabas cum munere: quæro, Quis auctor?
Auctorem mihi te muneris eſſe liquet.
Hic mecum ipſe animo nocturna revolvere viſa,
Neſcius, an vanis ludar imaginibus.
Somnia cum factis componimus, omnia conſtant:
Idem odor, atque eadem forma ſaporque fuit.
Unum reſtabat quod Phœbus dixerat; an qui
Hæc biberet, Numen nôſſet adeſſe ſibi.

Experior: manifeſta fides: vix pocula libo,
  Effuſis, ceu fons, perfluo carminibus.
Hac-narrata-tenus res eſt. Nunc quid tibi, amice,
  Quid tibi pro tantis perſolüam meritis?
Qui mihi concilias Phœbumque, novemque ſorores,
  Solvis & ignavo pectora ſenta ſitu?
Noſtra parum certe, ſed ſi quid carmina poſſunt
  Noſtra tamen meriti fama perennis erit;
Et quamvis niveis vecteris in aëra cycnis
  Notus ad Eoos, notus ad Heſperios,
Hæc quoque erit famæ merito pars addita, quod me
  Languentem tanto juveris officio,
Meque inter vates, inſtinctus Apolline, ut ante,
  Poſſe aliquid, miſſa feceris ambroſia.

LAUS CERERIS.

DIVA potens frugum, fœcundæ pacis alumna,
  Primaque munificas inter habenda Deas:
Seu modo per campos Ennæ Trinacridos erras
  Nectens formosâ ſpicea ſerta manu;
Seu tacitos præbes teneris ſementibus auctus,
  Perque ſuos meſſem provehis articulos;
Huc ades, o ſanctos ſpicis redimita capillos,
  Huc ades alato vecta dracone Ceres.
Felix qui preſſo terram dimovit aratro
  Primus, inexpertas edocuitque boves!
Et lætas idem maturo tempore meſſes
  Vidit in apricis luxuriare jugis.
Pace tua, Saturne pater, mihi dicere fas ſit,
  (Namque ego non ullo vera pudore tegam)
Mella licet duræ ſudarent roſcida quercus,
  Plenaque ſecuris ubera ferret ovis,
Aſſyriumque daret vulgo rubus aſper amomum;
  Infelix hominum, te duce, vita fuit.

Heu

Heu male conſultum! noſtri pars maxima deerat
  Victus, humanis uſibus apta Ceres.
Fac toſtæ fruges abſint: hærere videbis
  Convivam, & mœſtis lancibus ingemere;
Non mulli caput arridet, non ilia rhombi,
  Miſſaque Lucrinis oſtrea rara vadis:
Abnuit in Marſis latratum ſaltubus aprum,
  Plumoſi & prædas abnuit aucupii.
Quin etiam ſupera Ganymedes lapſus ab arce
  Si ferat imperio prandia miſſa Jovis,
Scilicet hærebo; delataque dona peroſus,
  Nec tanti ducam vertere ad illa manum.
At contra ſi ſancta Ceres convivia nobis
  Inſtruat, & largas læta miniſtret opes,
Tunc ego dux, mileſque bonus, tunc ſtrenuus arma
  Expedio, & forti mente, quod inſtat, ago.
Jam nec cœleſtum menſas, epulaſque requiro:
  Quidquid habes, habeas, Juppiter ipſe, tibi.
Sit mihi cum cynara vel res in paupere menſa,
  Cum Cerere, & cynara prandia ducta placent.
Allia vel ponas Lyrico damnata Poetæ,
  Allia cum Cereris munere juncta probem.
Nec me pœniteat lacrymoſam invadere cœpam,
  Si modo mi lacrymas condiat alma Ceres.
Quod ſi juglandeſque nuces, & mitia poma,
  Uvaque Telegoni nata ſub aggeribus,
Ingratæque olim quem preſſit Tityrus urbi,
  Caſeus in promtu ſit mihi, Cæſar ero.
Scilicet hæc Cereris laus eſt, vulgaria quamvis
  Apponas, rari cuncta ſaporis habes.
Quodlibet adjungas olli, conſpirat amice,
  Suavis & exſiſtit tertius inde ſapor.
Non male reſpondet volucris criſtata palato,
  Et totam ex facili, ſi modo ponis, edo.
At ſi mì totis volucris criſtata diebus
  Occinat, obſcenas illa erit inter aves.

O be-

O bene! quod Cereris ſubeunt faſtidia nunquam;
Ex æquo quavis luce probanda venit.
Non illam toto Neſtor faſtidiit ævo;
Tithonuſque annis fractus edebat adhuc.
Quod ſi faſtidis Cerealia dona, caveto:
Nam febris, aut vitium gutturis illud erit.
Qui refugit Cererem, ſequiturque obſonia ſolum,
In media jubeo vivere Barbaria:
Si me convivam precibus vocet uſque, vel ipſa
Propoſita Crœſi conditione, negem.
Malim ego rixantum fieri conviva luporum
Horrendæ procul in rupibus Hæmoniæ.
Malim & Tartarei fieri conviva Moloſſi
Ad pigra Cocyti ſtagna, nigramque domum;
Vatis triticeam, quamvis ſit ferreus, offam
Fertur gutturibus corripuiſſe tribus.
Tollite barbaricum morem: ſic prandia dira
Informes Lapithæ Nubigenæque trahunt;
Tunc cum ſubverſis gliſcens diſcordia menſis
Fregit in immeritum pocula Pirithoum;
Fleviſti & longum ſciſſâ mœſtiſſima pallâ
Raptata indignis, Hippodamia, comis.
Sic & Trinacrio immanis Polyphemus in antro
Ejectat crudas ore fluente dapes:
Antiphateſque ferox ſocios cœnatus Ulyſſei
Infamat priſci litora ſæva Lami.
At pius Æneas olim, & Trojana juventus,
Ne carnem hirſuti more leonis edat,
Pugnat triticeos convellere dentibus orbes,
Annoſis ducens prandia fragminibus.
Sed bene, quod Cereris non te, generoſa juventus,
Pœnitet: hinc vires, hinc animoſque cape.
His epulis crevere olim forteſque Camilli,
Scaurique, & Martis fulmina Scipiadæ:
Sic & laudati virtus intonſa Catonis
Crevit ſupremis æmula Cælitibus.

Quin

Quin etiam ſævus, ne ſola domeſtica tangam,
  Hannibal Auſoniis non levis horror agris,
Et Cerere, & veteri cautes perrupit aceto:
  Sic memini antiquo me legere in lapide.
Ergo agite, & magnæ complexi munera Divæ,
  Eſte viri, & Latiæ conſulite hiſtoriæ.
Proh ſuperi, quam fervet opus! jam tertius orbis
  Ducitur; agnoſco Numen adeſſe Deæ.
Heus pueri! menſam plenis ſupplete caniſtris;
  Parcentes poſſum non ego ferre manus.
Jam ſatis eſt, pueri: viden' ut Ceres optima circum
  In Samiis niteat candida fictilibus?
Illi non humerus Pelopis contendat eburnus,
  Cynthia non albis lucida quadrijugis;
Non & reginæ Junonis brachia certent,
  Aut Thetidis nivei per vada ſalſa pedes.
Quid quod &, in ſcopulis ceu ſpongia nata marinis,
  Intus hiat latis rara foraminibus?
Et gravitate carens, tenuique ſimillima nubi,
  In morem offenſæ tota tumeſcit aquæ.
Non hæc Teuthonicæ, non hæc eſt gloria dextræ,
  Artificem Divæ nempe ego noſco manum.
Ipſa manu lentas exercuit horrida maſſas,
  Ipſa ſuperfuſâ Diva ſubegit aquâ;
Ipſa & fermenti vim totos ſparſit in artus,
  Et niveas juſto torruit igne dapes.
Non ego falſa loquor; toſta de fruge remiſſus
  Artificem, quovis judice, prodit odor.
Iſte odor eſt, Cereris quem veſtis ſancta remittit,
  Iſte eſt, cœnantem quo beat illa Jovem.
Hoc & odore olim Celei miſerata laborem,
  Triptolemum in cunis ſuſcitat exanimum.
Et quiſquam, ambroſios cui Diva exſpirat odores,
  Suſtinet externas quærere delicias?
Ah valeat qui mane novo jejunia ſolvens
  Neſcio qua nigrâ proluit ora dape.

Quis

Quis furor in noſtros glandes inducere mores,
  Et ritu priſcæ vivere barbariæ?
Sanctaque Eleuſinæ corrumpere munera matris?
  Ah ſapite & tantum vos prohibete nefas.
Damnatas Cereri, juvenes, extrudite glandes:
  Non ſua corrumpi vult bona ſancta Ceres.
Orbiculoſque, rotaſque, & iniquo pondere quadras
  Excutite, & veſtris pellite liminibus.
Tum ne forte malæ ſuperent veſtigia noxæ,
  Et vetus e capſa ſpiret inuſtus odor,
Inceſtum ſuffite locum: ter ſulphure vivo
  Tangite, ter lympha ſpargite fluminea;
In quem porro uſum damnatas vertere merces
  Præſtet, id ipſa meo vos monet ore Ceres.
Vidiſtiſne ſtrabonum aliquem de ſanguine, cujus
  Tellus obſtruxit patria (*a*) luminibus?
Ligneus eſt, rigidiſque miſer vix oſſibus hærens
  Ægram pallidulo vix tenet ore animam;
Ut pius eſt, primiſque Deam veneratus ab annis,
  Unde ſibi vires duxit, & ingenium,
Devotas Cereri merces libaverit idem,
  Placatam vobis reddideritque Deam.
Interea propius, juvenes, accedite; certâ
  Vult vos conſtringi relligione Ceres.
Sed vos præcipue, quos docta protegit umbra
  Arbor diffuſis Porphyriana comis,
Plena coronatis Cerealia dona caniſtris
  Ferte citi, atque omnes tangite utraque manu:
Tum me quiſque volo præeuntem in verba ſequatur,
  In quam jurandum eſt formula talis erit:
Donec erunt toſtæ fruges Cereriſque beata
  Dona, & compreſſi copia lactis erit,
Non mihi mane novo fumabit ahenea turris,
  Et ſubeant labris pocula nigra meis.

Nec

(a) *Florentia Auctoris Patria.*

Nec, ſi me quiſquam precibus roget uſque profuſis,
  Suſtineam nigra polluere ora dape.
Dico ſacramentum: quod ſi, Ceres optima, fallo,
  Dura mihi ſemper, difficiliſque veni.

AD DOMINICUM FRANCHINUM Societ. Jesu.

cujus cenſuræ Auctor poemata ſua ſubjecerat.

CANDIDE Pieridum judex, FRANCHINE, mearum,
  Cui par judicio conſtat in ore fides;
Qualeſcumque tibi modo miſimus excute nugas,
  Noſtraque quid peccet Calliopea, mone.
Quæ male prodeſſet, nil gratia proſit: abunde
  Laudatus, melior ſi modo reddar, ero.
Ipſe (nec inficior) videor mihi ſæpe poeta,
  Et mea plus juſto ſcripta latenter amo;
Nec puer e trivio vel quæ deprehenderit, uſquam
  Occurrant oculis menda notanda meis.
Nempe ſuos partus cœco metitur amore
  Quilibet, & pluris, quam meruere, facit.
Non eſt Therſitæ facies bona: conſule matrem,
  Therſitæ facies unde probetur, habet.
Eſt hebes ingenium Margitæ: conſule matrem,
  Margites aliqua dexteritate valet.
Ipſe ego, quem priſca facias de gente ſtrabonum,
  Matre mea quondam judice, Pætus eram.
Quo magis in noſtras virgam diſtringe Camenas,
  Quæque minus recte ſcripta fuere, notes.
Crede mihi, quamvis me judice cuncta probentur,
  Invenias doctâ multa linenda manu.
Sæpe quis aut Coo ſeſe committit Apelli,
  Aut modo non Phidiæ ſe putat eſſe parem;
Alter & Idmonia pulcher ſibi viſus in arte
  Pingit acu; & dignum Pallade cenſet opus;

Aſt

Aſt ubi ſucceſſit rigidi cenſura magiſtri,
  Conſcius artificum manat in ora rubor.
Quare age difficili mordacius utere lima,
  Singulaque ad vivum terque quaterque ſeca.
Incidit teneras fœcundo vulnere vites
  Ruſticus, ut dulci turgeat uva mero;
Eruit & triſtes imis radicibus herbas,
  Majori ut meſſem fœnore reddat ager.
Sic licet ut facias: parvo poſt tempore forſan
  Cultior, & venæ fertilioris ero.

Poeta quum maxime cogitaret de abſtinendo in poſterum a chocolate, oppreſſus amici munere conſilium differt.

Mene operam Muſis non poſſe impendere, mane
  Barbaricus ſi non proluat ora liquor?
Quid ſi non Calpes Abyleſque obſtantia clauſtra
  Fregerat, ignoto claſſis itura mari?
Mæonides tales numquam guſtando ſapores
  Europæ, atque Aſiæ ducere in arma manus;
Anchiſaque ſatum potuit committere Turno
  Felix Romanæ conditor Iliadis.
Si pigra ſcribenti conſiſtit vena, licebit
  Mergam Gorgoneo cum capite ora lacu.
Hos latices certe nondum fortuna negavit
  Vatibus: his vates utar oportet ego.
Mexiacæ, fateor, fuerat dum copia glandis,
  Duxi ſecurâ pocula plena manu;
Nec, matutinus ſi forte oppreſſerat hoſpes,
  Suſtinui ſurdas liminis eſſe fores,
Oppoſuive feram, vel ſum cauſſatus Iberæ
  Quæ redit occiduo claſſis ab orbe, moram.
Uncia reſtabat: conſumſimus. o bene factum!
  Servus barbaricæ non ego meſſis ero.

Sum

Sum meus, Aoniæ teſtes eſtote puellæ:
  Jam mihi, jam veſtræ mane bibentur aquæ.
Gratia Dîs, magni, quod nil miſiſtis, amici:
  Veſtro ſubtracta eſt munere cauſſa mali.
I puer, & quæ Mexiacos quæruntur in uſus
  Arma lege, & totis exige liminibus.
Quid mihi nunc parvuſque lebes, & ahenea fornax,
  Murrhinaque, & Samio cymbia ficta luto?
Quid mihi quid diro cum turbine? Phaſias olim
  Repperit hæc magicis arma miniſteriis.
Plura locuturo prima ſub luce Doriſtus
  Adſtat, & in manibus lata caniſtra tenet.
Hæc tuus auditor quondam, nunc ipſe magiſter
  Toldus, & accipias munera parva rogat.
Dixit, & ingentes reſupino vimine quadras
  Explicat, inſano pondere menſa gemit.
Obſtupui: pertentat odor præcordia notus.
  Credas ætheria munera miſſa domo.
Quid quæris? cauſſâ morbus præſente revixit
  Protinus, exſtinctus qui modo viſus erat.

S. ALOYSIO GONZAGÆ

pro Caſtitate Vota.

LOïsIDE, intacti felix tutela pudoris,
  Lilia cui ſanctum circumiere caput:
Virgineas ſeu nunc lætus meditare choreas,
  Lactea conſpicuum qua via ſignat iter;
Seu flores legis in ſertum, formoſa vagatus
  Per nemora, Elyſiis conſita deliciis;
Cœleſtemque Agnum ſectatus in ardua, carmen
  Dicendum pueris, virginibuſque canis:
Huc ades, & tecum Veneris domitura calores
  Affer virgineâ pocula miſta manu;

Bal-

Balſamaque, & ſuccos, ſemperque virentis Olympi
Flores, & primas, dona beata, nives.
Sic ades o, noſtroque volens ſuccurre labori:
Nulla tuo res eſt digna favore magis.
Quamvis multa tuæ celebrentur munera dextræ,
(Parcius æſtiva Nilus abundat aqua:)
Aut fruges modo miramur ſuccreſcere cellis,
Aut modo depletis fervere vina cadis;
Aut, quam non unquam noſtri preſſere trapetes,
Manare e ſiccis Pallada fictilibus.
Adde huc innocuoſque ignes, ſegetique ſiniſtrum
Juſſum contractis currere flumen aquis:
Adde & depulſos Cereali pulvere morbos,
Corporaque e mediis pæne recepta rogis:
Hæc, & plura licet memorentur in omnibus oris;
Major ab aſſerto fama pudore venit.
Hæc tua vis potior, laus hæc, & gloria; tollis
Quidquid veſani crimen amoris habet.
Hinc & votivis augentur templa tabellis,
Sanctus & in toto ſuſcipis orbe preces;
Et merito: tibi enim, tibi primo in flore juventæ
Cypris non ulla ſtringere pectus acu;
Nec potuit caſtæ nebulas inducere menti,
Aut ſemel objectis fallere imaginibus.
Rarus honos, & quem pauci meruere, ſecundo
Quamvis naſcentes viderit ore Deus.
Quo magis o faveas, ac numine dexter amico
Aſſere ſollicitæ jura pudicitiæ.
Non mea me tutum præſtare induſtria poſſit:
Tota patrocinio ſpes mea nixa tuo eſt.
Cinyphiis licet obducas horrentia textis
Pectora, & in dura ſit tibi ſomnus humo;
Sitque exuſta licet facies, æſtuque, fameque,
Languidaque amiſſo corpore membra trahas:
Non tamen his telis Venerem defendere poſſis.
Altius humanis viribus illud opus.

Hei

Hei mihi! cur tam difficili committor arenæ?
  In me cur tantum roboris hoſtis habet?
Iſta quidem vis eſt: viden' ut niger ora Cupido
  Pone trahat furtim pallia noſtra manu?
Nec ſatis hoc: colaphos infregit in ora: vides hoc;
  Et tamen in noſtro lente labore ſedes?
Surge age, LoïsiDE, cape tela, elataque frange
  Cornua: virgineas ſentiat ille manus.
Audimur; venit, ecce venit: cortina repente,
  Sanctaque concuſſo mugiit urna ſolo.
Quid ſtatis, pueri? terram petite ore paventes,
  Præſentem & Divum quiſque rogate mihi.
Fallimur? an noſtro? non fallimur: improba peſtis
  Excuſſa eſt noſtro nec reditura ſinu.
Surgite io, pueri: grateſque rependite Divo.
  Vicit io Lodoix, dicite, vicit io!
Heus pictor, mihi votivam deſcribe tabellam,
  Atque hæc extremâ carmina parte nota:
ABSUMTUS. MISER. HIC. FLAMMA. NE. QUÆRITE. QUALI
  VINDEX. LOÏSIDES. NI. PROPERARAT. ERAT.

IN FUNERE

JOANNIS BAPTISTÆ CONTI.

E SOCIETATE JESU.

AN mihi erat tanti rapientibus eſſeda mannis,
  Noſſe Truentinæ (*a*) nobile murmur aquæ,
Turritaſque videre domos, nocturnaque ſaxa
  In pontem (*b*) magicis quæ coiere ſacris?

C Ut

(a) *Truentus Piceni fluvius allait Aſculum.*

(b) *Vulgus appellat* il Ponte di Cicco: *quem Franciſci Stabilis Aſculani magicis artibus noctu repente exſtitiſſe fabulantur.*

Ut te correptum nec opino turbine lethi
  Eripiat paucis mors mihi luciferis?
Cur ego non potui tantum prædiſcere luctum?
  Præſenti levior plaga futura fuit.
Hæſiſſem certe lecto, amplexuſque jacentem
  Dixiſſem extremo, nec ſemel, ore, Vale;
Luctantemque animam, ac ſuſpiria ſumma trahentem
  Ore legens, juſto fungerer officio.
At nunc, quod ſolum mihi dura relinquitis aſtra,
  Ætatis miſeræ tempora acerba querar;
Solamenque mali fletum & ſuſpiria portans,
  Viſam Caucaſeos mentis inops ſcopulos.
Quamvis dura, piis reſpondent ſaxa querelis,
  Offenſique gemit triſtis imago ſoni.
O ſi cum dura licuiſſet morte paciſci!
  Malim contentam cæde fuiſſe mea.
Si caput hoc melior, te ſoſpite, Parca tuliſſet,
  Nil damni factum, quod quereremur, erat.
Non ego ſum natus ſtudiis, non rebus agendis
  Utilis, ingenio plumbeus, arte rudis;
Ulla nec inſcitos commendat gratia mores,
  Ulla nec in toto eſt corpore mica ſalis.
Atque aliquis noſtro ridens in funere, forſan
  Dixiſſet: Nulli mors fuit æqua magis;
Nam meruit; quoniam fruges conſumere natus
  Non ullo voluit vivere conſilio.
At contra ſicco tua nam quis funera duxit
  Lumine, non totis immaduitque genis?
Illis & doctas artes ploraſſe diebus,
  Et caput in tenebris occuluiſſe ferunt:
Viſamque in funus paſſis prodiſſe capillis
  Flentem ſollicita cum Pietate Fidem.
Heu quantum ingenii! quantum pietatis in uno
  Occidit! heu tecum quot periere bona!
Ite oculi in lacrymas: juvat indulgere dolori:
  Triſtitiæ nullus ſit, lacrymiſque modus.

At

At tu dum triſtes nos flendo ducimus horas,
  Ægraque mens luctu carpitur immodico:
Forſitan e medio deſpectans lætus Olympo,
  Irrides mœſti pectoris officium.
Felix! qui curſu pelagi defunctus iniqui
  Tuta coronatâ litora puppe tenes.
Trajectæ ſyrtes, certoque eſt anchora jacta
  Firma ſolo: requies & tibi parta ſemel.
Hoc nunquam culpata fides, & neſcia fraudis
  Ætas, & mores promeruere boni;
Hoc & Amor, Pietaſque, & nobilis ardor honeſti:
  Sementi ſeges hæc provenit apta tuæ.
Jam frueris, felixque tui conviva Tonantis
  Æternæ ſuccos veſceris ambroſiæ.
Exundatque tibi pleno e torrente voluptas.
  Hei mihi, quam melior ſors tua ſorte mea eſt!
Ecquid io! ex epulis, Pater, inſtructuque beato
  Mittis? mica inopi quantulacumque ſat eſt.
Nil ago: currenti non fas guſtare, priuſquam
  Extremo metam triverit orbe rota.
Ne, Pater, hoc quod poſco, neges. da, compede rupta
  Carpat cœleſtes ſpiritus iſte vias.
Atque tibi lætoſque choros, interque Piorum
  Concilium lateri proximus aſſideam.
Hunc Aurora diem primo quæ portet Eoo,
  Ægro mœſtitiam terſerit ex animo.

AD NYMPHAS PALÆSTINÆ,

ut MARIAM *abeuntem in montana officii cauſa comitentur.*

NYMPHÆ Thaborides Nymphæ, quæ rura beata,
  Udaque nativis antra tenetis aquis:
Ite viæ comites MARIÆ, quæ Numine fœta
  Viſere Zachariæ tecta, lareſque parat.

Ite; ſed ante meis aures advertite dictis,
  Iſtaque ſub memori condite juſſa ſinu.
Formoſos quacumque pedes Divina Puella
  Intulerit, facilis ſit, pateatque via.
Tranſverſi frutices abſint, ramique caduci,
  Abſit & hirſutis ſentibus herba nocens.
Nec minus amotis purgetur ſcrupea ſaxis
  Semita, inoffenſum ducat ut illa pedem.
Tum lætum veſtite ſolum florentibus herbis,
  Pallenti viola, purpureaque roſa.
Felices nimium, fortunatique colores,
  Quos premet impoſito caſta Puella pede.
Jamque aliqua e vobis comites prævertat, & omnem
  Spargat odorato prævia rore viam;
Expreſſoque roſis ſucco contingat arenam,
  Ut gravis aſperſo pulvis ab imbre cadat.
Nec vos pœniteat flabello arceſſere ventos,
  Illius & verno nectere flore caput.
Et modo prætenſa ſolem defendere lauro,
  Et modo marmoreæ tergere frontis aquam.
Aſt, ubi ſol medios cœli ſuccenderit æſtus,
  Aridaque impatiens terra caloris erit,
Incœptum rumpatur iter, feſſamque Puellam
  Quercus frondoſo protegat hoſpitio.
Hic brevis herboſo conſtructa e ceſpite menſa
  Ponatur, celeri deproperata manu,
Quam ſuper & flores halent, nomenque Puellæ
  Pingat odoratis litera facta roſis.
Dein alacres omnes, incinctæ veſtibus omnes
  Adſint, & placida mente quod inſtat, agant.
Illa ferat tonſis mantilia candida villis:
  Hæc manibus puro e fonte miniſtret aquam.
Pars Cererem expediat calathis, pars fagina ponat
  Pocula, pars epulas officioſa gerat;
Lactea Sicanio reſperſa coagula rore,
  Flavaque ſub puro condita mella favo.

Et

Et dulces ceraſos, & humi naſcentia fraga,
  Et matutinâ mora legenda manu.
Sed bonus in primis commendet fercula vultus,
  Vultus ſinceræ pignora mentis habens.
Poſtquam epulis fuerit perfuncta, quieſcat in umbra,
  Dum fiat ſeræ mollior hora viæ.
Singula quid moneam? Nymphæ conſurgite. celſos
  En migrat in montes Parthenis; ite ſimul.
Finieram. lætæ ſurgunt, memoreſque Puellam
  Certant officiis demeruiſſe ſuis.
Illa ubi dilectos iniit peregrina penates,
  Et Matrem lætis juſſit avere ſonis;
Infans materna geſtit luſtratus in alvo,
  Oraque venturi conſcia ſolvit Anus;
Grandævuſque Pater luctatur gaudia voce
  Promere, ſed vocem lingua moratur iners:
Ipſa domus, credo, fremitu plauſura ſecundo,
  Prodigiis ſi non obſtupuiſſet, erat.

AD HIERONYMUM LAGOMARSINUM

E SOCIET. JESU.

GRATIA ſit ſuperis! morbi vis improba demum
  Fracta machaoniis concidit auxiliis.
Non febris tibi ſuccenſos depaſcitur artus:
  Non quatit indignum tuſſis anhela latus;
Nec, qui furtiva carpi præcordia labe
  Arguat, informi pallor in ore ſedet.
Jam rediit menſæque ſapor laticique Lyæo,
  Irrigat & molli membra ſopore quies.
Nec minus aſſuetos avet inſtaurare labores
  Mens animi doctis dedita Pieriſin.
Sed tamen ipſe tibi plus juſto fidere parce,
  Parce, nec a morbo ſtrenuus eſſe velis.

Nil metuens, ventis ludibria navita debet,
Nil metuens, ſævo miles ab hoſte perit.
Aſpicis ut Thracenque feram Rhodopenque reviſens
Multa tamen poſt ſe ſigna relinquat hiems?
Aut teneris Boreæ male temperat aura roſetis,
Aut cadit hibernæ luridus imber aquæ:
Aut vernos per agros ſe vitrea lympha teneri
Miratur, pigro vincta repente gelu.
Tum celeris latum tranſmittere Nerea, damnat
Intempeſtivum Daulias ales iter.
Sic quoque, ne tibi confidas, veſtigia morbi
Linquunt affectis triſtia corporibus.
Neſcio quis languor male firmos præpedit artus,
Torpet & obducta ceu mihi nube caput.
Quum morbo caream, quiddam quaſi ſentio morbum,
Unde minus belle eſt quam fuit ante, mihi.
Quidquid id eſt, noli ſtultus contemnere, ne te
Pœniteat magno poſt didiciſſe malo.
Nunc genium cureſque epulis, & languida ſtratus
Membra thoro, dulci frange ſopore diem:
Nunc & jucundos inter mihi lætus amicos
Fallas alternis otia colloquiis,
Nec te quùm devexa dies jam fregerit æſtum,
Lenis & arentes temperet aura vias;
Egreſſum tectis pigeat reptare per urbem,
Cœlo gaudentem liberiore frui.
Quam juvat, undarum ſeu qua fluit agmine leni
Prætextus glaucis Tibris arundinibus;
Seu qua Flaminiæ ſpatium ſe porrigit, auram
Spirantem in noctem lenius, excipere!
Nec ceſſare tibi videare, quod otia lentus,
Curarum poſita mole parumper, agas.
Navita ſubductæ non ceſſat texta carinæ
Dum reficit, flabris ſaucia Threiciis.
Nec ceſſat, qui jam requiem poſcente quadriga,
Strigat, & abjunctis pabula præbet equis.

Ah!

Ah! ne præcipiti Muſarum abreptus amore
  Infirmâ repetas priſtina penſa manu!
Quid tibi cum docta, Lagomarsine, Minerva?
  Quid tibi cum Phœbo, Pieridumque ſacris?
Si ſemel occideris, non te facundia præſens,
  Profluaque hibernas verba imitata nives;
Non vigiles curæque juvent, doctique labores,
  Famaque trans gelidos lata Boryſthenidas.
Si ſapis, hoc unum ſtudeas, ſervire ſaluti,
  Et morbi triſtes tollere relliquias.
At commiſſa tibi generoſæ (*a*) turma juventæ
  Increpat in longas otia ducta moras.
Increpet uſque licet, non eſt cur anxius optes
  Tam cito te indigno reddere ſervitio.
Qui ſemel evaſit vinclis, & carcere cæco,
  Non cupit inviſos rurſus inire lares.
Nec remex cupit Odryſia modo puppe ſolutus
  Vincula dementes addere in arcta pedes;
Crede mihi, eſt aliquid pueris ceſſare regendis,
  Per quos libertas illa paterna perit.
Quidquid agas norunt; non fas emungere nares,
  Arbitrio non fas mittere ſputa tuo.
Nec fas ulciſci pulicem, qui læta ſecutus
  Paſcua, jejuno mordeat ore latus.
Tempora ſeu menſæ, ſeu ſomno tempora reddis,
  Illos non ulla fallere parte potes:
Quid quantumque cibi capias, quot pocula ducas,
  Et quota te ſomno ſuſcitet hora, notant.
Adde quod olfaciunt quidquid meditaris in horas,
  Quodque putes minime poſſe tenere, tenent.
Tum vani blaterant ſi qua expiſcantur, & illud
  Eſſe volunt animi multa videntis opus.
Libertatis amans latum deceſſeris unguem:
  Turbant excuſſo protinus imperio.

(a) *Intellige Seminarii Romani nobiles Convictores, pro ætate ſcilicet deſcriptos in contubernia.*

Ecce ſuos fines hic rranſilit, ille moleſta
Voce canit, lites hic ferit, ille jocos.
Atque aliquis Præfectus abeſt, ſeponite libros:
Eſte viri, nunc eſt prœlia tempus agi.
Nec mora collatis concurritur undique ſignis,
Remque alacres pugnis, codicibuſque gerunt.
Hæc inter redeas: ſubito puerilis arena
Vaſta fit, & miſſo reddita marte quies.
Quid ſit turbatum quemquam ſi forte rogaris,
Miratur, nec quid dicere poſſit, habet.
Quid quum ſemirutas conceſſa per otia (*a*) thermas
Raptim Præfecto pone ſequente petunt.
Non illos Perſeus, non ſumtis Dædalus alis,
Non affectari poſſit Atlantiades.
Sæpe ego: Lictores numquid fugientibus inſtant?
Reſpexi, nemo qui ſequeretur, erat.
Interea ſudor talos tibi manat ad imos,
Totaque quaſſati corporis oſſa dolent.
Hinc febris, tuſſiſque frequens, hinc aſſidet ægro
Clinicus, & facili cedis in aſtra via.
Tum credo lacrymas Præfecti in funere fundunt,
Inque animi vultu ſigna dolentis habent.
Occidit, occiderit: damnum eſt reparabile: noſtram
In promtu turmam qui regat, alter erit.
Scilicet huc recidunt blandi mendacia vultus,
Verba & Mopſopio dulcia melle magis:
Omnia ſunt ingrata; dies vix præterit, aut nox,
Quidquid promereas, ventus, & unda tulit.
At, tamquam tibi contigerit provincia felix,
Et qua qui ſapiat poſſe carere neget;
Pallidus, & nec dum inſtauratis viribus, illuc
Aptis jam properas, hei mihi, ſarcinulis?
Dum licet, ah ſapias, vincliſque exutus iniquis
Ex aliis alias, quam potes, adde moras.

Nec

(a) *Thermas Antonini, ubi per vacationes Scholarum folle, aut pila ludunt.*

Nec levis hæc morbi merces, te munere tali
  Quamlibet ad paucos poſſe vacare dies.
Tanta tibi ut poſſent contingere commoda, ſponte
  Si non veniſſet febris, emenda fuit.

DIVINO INFANTI

Poeta cor suum

D. D. D.

NON myrrham tibi, Magne Puer, non divitis auri
  Pondus, non Arabum maſcula thura damus.
Talia dent Reges, quorum fortuna beata
  Divitias, aliis quas dare poſſit, habet.
Nudus ego tua caſtra ſequor; nec gloria parva eſt,
  Si mihi te propter deſpiciuntur opes.
Quod ſi te, ſenſuſque tuos, pulcherrime, novi,
  Plus tibi, quam Regum munera, corda placent.
Illa petis, pluriſque facis, quam maſcula thura,
  Quam myrrham, & flavi dona beata Tagi.
Et merito, quoniam ſi cor gens dura negemus,
  Cætera nil pretii, quo capiaris, habent.
Hoc equidem (nec fallo) volens tibi, Dive, ſacrarem:
  Sed miſer heu dira terreor illuvie.
Olli Livor edax ſuccos aſperſit amaros:
  Afflavit fumo Gloria falſa ſuo.
Difficileſque lavi ſordes allevit habendi
  Ardor, & inceſto contigit igne Venus.
Tum mala Deſidies ter pigro in gurgite Lethes
  Merſit, & infeſtas addidit Ira faces.
Quin illic fodere larem Fraudeſque Dolique,
  Criminaque, & Stygii cætera monſtra lacus.
Hic ſtatus eſt, hæc forma mei triſtiſſima cordis;
  Nec quid agam, ratio, conſiliumque ſubit.
Tu fer opem potius, qui nutu vertere cuncta
  In melius, nulla vi prohibente, potes.

Quod

Quod non effuſi ſeptena per oſtia Nili
  Flumen, non totis fluctibus Oceanus,
Nec gravis undanti vaſtis fornacibus igni
  Fibris incoctum deleat Ætna nefas,
Diſcutis ex facili: nec quamvis dura, vocanti
  Materies ſurdis auribus eſſe queat.
Quum libet, Aſſyrios quæ potavere colores
  Certarint nivibus vellera Sithoniis;
Quemque repercuſſum radiis plaga ſolis iniqui
  Urit, candentem vincat honore Paron.
Mille vias noſti, per quas informia corda
  Alpinâ fiant candidiora nive.
Injice tres Fidei radios: tres injice Amoris,
  Quæ vitium exurant funditus omne, faces.
Spem quoque Divinam, tenerum quæ paſcat Amorem,
  Et ſanctum, qui Spem temperet, adde Metum.
Illaque præterea præclari ſemina honeſti
  Adjice, proventu non caritura ſuo.
Hoc mihi ſi dederis, non tu celabere: facti
  Auctor, io! venies multus in ora virûm.
Ultra anni, ſoliſque vias dicéris: & a te
  Nata coronatis Fama vehetur equis.
Ergo age, Magne Puer, tua ſi te gloria tangit,
  Sancta recudendum dextra laboret opus.
Scilicet hoc nolit, tecum qui prœlia, Pluto,
  Cumque tua ſemper gente ſuperbus habet.
Sed ſine Tartareis illidens cornua muris
  Frendeat æterna pallidus invidia.
Fallor? an ex toto? non fallor: fœda retexi
  Ex toto vitæ ſentio fila meæ.
Sentio diffingi ſenſim vetus, in-que-novari
  Cor mihi; contemto vita pudore vale.
Jam triſtes abiere notæ: jam rurſus imago
  Eminet artifici Patris inuſta manu.
Jam vigor, & firmæ ſerpunt in pectore vires,
  Cordaque neſcio quis ſpiritus intus agit.

Non

Non non humanæ labor eſt, & gloria dextræ:
  Plaudite, io! Domini dextera fecit opus.

Poeta miſſionem petit
a Muſis.

JAm ſatis, Aonides! veſtris ſtipendia caſtris
  Feci: nunc alio vivere more juvat.
Quamvis ſera, redit ſapientia: non ego vitam
  In ſterili poſthac litore, ut ante, teram.
Quo mihi, quo lauroſque, & bacchica ſerta corymbos
  Semper, & algentes Bellerophontis aquas?
Saltem qua poſſem jejunia ſolvere, veſter
  Ferret Mexiacæ munera glandis ager.
Omnia quæſivi, bàccam nil præter amaram
  Daphnes, jejuni glarea ruris alit.
Has ego divitias vobis cenſuſque reſigno.
  Hæc habeant, ſi quos eſuriiſſe juvat.
Eſt macies quæſita ſatis: ſum pellis & oſſa
  Totus, & amiſſo corpore nullus ego.
Puppis Achæmenidem talem Trojana recepit
  Enectum, dira ſeminecemque fame.
Quid quod, luctantem dum me deducere verſus
  Tarda pruinosâ ſidera nocte vident,
Purpureum affecto rorem e pulmone remittens
  Veſtras infeci ſanguine ſtultus aquas?
Sanguine quo primi cepiſſem præmia pili
  Miles, in Auſtriaca nobilis hiſtoria.
Ah pereat, qui me veſtras deduxit ad artes
  Primus, inexpertos edocuitque modos!
Utilius potui, niſi ſenſus funditus omnes
  Perdideram, aut juncta litus arare bove:
Aut male ceſſuras haurire ſororibus undas,
  Irritaque Æolio volvere ſaxa jugo.
Sæve Aquilo: navim conſcendimus: ingrue velis
  Totus: de timidis non ego vector ero.

In

In quaſcumque placet, caput hoc exponito terras:
 Quamvis barbarico ſub Jove lætus agam;
Non me pœniteat Gætulas diſcere ſyrtes,
 Caucaſon, aut Scythicis antra ululata feris.
Aut Tanaim extremum bibere, & naſcentia Nili
 Flumina, nigrantum in finibus Æthiopum.
At vos Aonii, quos diſceſſurus adoro
 Poſtes, & ſanctæ limina magna domus,
Hoc breve quod ſumma fugientes ſcribimus hora,
 Inciſum æternis carmen habete notis:
ROTIUS. HUC. SI. QUANDO. PEDEM. SI. QUANDO. REFLECTET
 PIERIDES. ILLI. TUNDITE. VECTE. CAPUT.

MARGARITA KRISKA

STANISLAO KOSTKÆ FILIO.

ARGUMENTUM.

S. STANISLAUS *natione Polonus e nobili, & ſenatoria Koſtkarum familia a Parentibus ſtudiorum cauſa Viennam Auſtriæ cum Paulo Fratre majore mittitur. Ibi quum ſtudiis pietatis apprime deditus vitam cæleſtem magis quam humanam ageret, eamque ob rem aſſidue vexaretur a Fratre, cujus videlicet ſolutiores mores tantam illam vitæ ſanctimoniam ferre non poterant; a Sanctiſſima Dei Matre de ineunda Societate* JESU *diſerte admonetur. Sed quum plane deſperaret de facultate, & venia a Parentibus impetranda, obſervari etiam ſe diligenter a Fratre cerneret, id conſilii cepit, ut mentito agreſtique cultu arrepta fuga Dilingam ad Petrum Caniſium, qui tum Germaniæ Superioris Societati præerat, contenderet. Quo in itinere a Fratre miſſos qui eum e fuga reprehenderent, divinitus, quum prope tene-*

teneretur, evaſit. Itaque exceptus a Caniſio demum cum literis allegatur Romam ad S. Franciſcum Borgiam Præpoſitum Generalem, a quo in Societatem admiſſus conſummatus in brevi explevit tempora multa; *quippe nec dum decimum Tirocinii menſem egreſſus in maxima ſanctitatis opinione deceſſit Romæ ad Sancti Andreæ in Quirinali. Atque hæc ad Hiſtoriam. Nunc Margaritam Kriſkam* STANISLAI *Matrem ſcribentem facimus Filio hanc Epiſtolam, qua multa queritur de fuga, & conſilio novæ vitæ, tum illi reditum domum ad ſe maximo opere ſuadere conatur.*

ECQUID, ut inſpecta eſt maternæ litera dextræ,
  Matris ab admonitu cor tibi molle fuit?
Quamlibet auſtero ſis pectore, noſtra legenti
  Forſitan invitis decidat unda genis.
Sed neque deciderit, nec quem facis ipſe, dolorem
  Gutta mihi ex oculis leniet una tuis.
Durus, ut es, perſta: non me ſcripſiſſe pigebit.
  Eſt tanti, juſto ſi licet ore queri.
Auſus es (heu facinus!) primo furtivus Eoo
  Non exſpectatæ tradere terga fugæ.
Non miſeræ ſubiit fugienti matris imago?
  Non dolor, & lacrymis omnia plena meis?
Egregium vero, crudelis! reddis amorem,
  Dignaque das matri præmia; flere jubes.
At Cœlo ſuadente fugis, Superûmque vocatu
  Lojolidum adſcita vivere lege juvat.
Iſta licet narres ignotis ſomnia; matrem
  Ne ſperes tanta credulitate capi.
Nempe habuit Frater te durius, æra maligne
  Præbuit, aſſiduas intonuitque minas.
Forſitan & plagas, quod nollem, ſævus inuſſit:
  Hæc fuit, hæc ſubitæ cauſa caputque fugæ.

Hinc

Hinc te pertæſum Patriæ eſt, hinc illa repente,
  Quam fingis, menti lux fuit orta tuæ.
Quod te ſi vitæ melior cepiſſet imago,
  Res erat hæc longa diſcutienda die.
Quæ cito præcipites, citius damnaveris: adde
  Conſiliis juſtam, ne capiare, moram.
Nec ſatis eſt dixiſſe, Vocor: vox credita, ſæpe
  Impetus ingenii fervidioris erat;
Utque queas tuto, Superis auctoribus utor,
  Dicere; res certis tanta probanda notis.
At tibi ceu fuerit ſuperas demiſſa per auras
  Litera, propoſiti teſſera fida tui,
Protinus indictaque mihi, Patrique ſalute
  Per cauſam fictæ relligionis abis.
Neve foret pietas uno tibi nomine læſa,
  Accedit lacrymis altera cauſa, pudor.
An ſi de media ſuſceptus plebe fuiſſes,
  (Prô ſcelus, & noſtro ſanguine inuſta nota!)
Aufugeres cultu ſpeciem mentitus agreſtem?
  Hei mihi! te propter fabula quanta ſumus!
Patris ut attonitas tantum ſcelus attigit aures,
  Supploſo ſtrepitum ſuſcitat ira pede;
Jurat & hoc ſumtis ulciſci dedecus armis;
  Et faceret, ſi non mente recurſet amor;
Namque ubi paulatim ſpatio deferbuit ira,
  Ingemit, & guttis grandibus ora rigat;
Et niſi malueris mutata mente reverti,
  Longius heu! ſine te vivere, Vita! negat.
Si potes, ex patrio matris nunc conjice luctum.
  Quam credis, majus pectore vulnus hiat!
Paule ferox, utinam Fratri placatior eſſes!
  Tu vexas: olli fit fuga: plector ego;
Nec mea continuo tabeſcere lumina fletu
  Ceſſant, vixque animam vixque dolore traho.
At tu, Care Puer! ſi qua eſt tibi cura Parentis,
  Ne pereat, patriis reſtituare focis,

Aut

Aut certe (ſi nulla ſuper tibi gratia noſtri eſt)
Ah! capiti parcas, Vita! nocere tuo.
Quid facis ah demens? temeraria cœpta relinque:
Non bene, quod nequeas ferre, ſubitur onus.
Tene tot indomitos vitæ perferre labores,
Illaque Lojolidum triſtia caſtra ſequi?
Militiæ durum genus eſt: vix tranſeat annus,
Et tua jam tumulo molliter oſſa cubent.
Quis furor eſt mortem primis arceſſere ab annis?
Quamlibet extremis venerit illa, cita eſt.
Non tibi divitiæ deſunt, non gloria Gentis,
Non vetus, & Regum ſanguine ducta domus;
Nec favor & cœptis aſpirans grandibus aura
Cæſaris, & populi fauſta precantis amor.
Eſt quoque quæ roſeos commendet gratia vultus,
Ingenuæ vires, ingeniumque ſagax.
Denique cœleſtes, ſi fas modo vera fateri,
Quidquid erat, facili contribuére manu.
Tu tibi ne deſis tantum, mea Vita! caveto;
Neu bona corrumpi tantaque, totque velis.
Seu tibi Mars placeat, Martem profitebere in armis,
Aucturus veteris tot monumenta domus:
Sive togæ potius, paciſque inſignia quæris,
Conſpicuus media e pace petetur honos:
Nec, ſi vita ſacras placet inſtituenda per artes,
Deſit honoratis infula clara comis.
Quamque aliis tardo medicatur Tibris aheno,
Crede mihi, eſt humeris Purpura nata tuis.
Non ego vana loquor: tibi enim, tibi tota Poloni
Regis, & Auſtriaci Cæſaris aula favet.
Ergo quum poſſis procedere tantus in Oſtro,
Malis Illyrica nigrior ire pice?
Lojolidumque umbras, & triſtia ſepta ſecutus
Ante diem macie, triſtitiaque cadas?
At poſitis illic quondam ſacrabere in aris,
Indigetemque novum Patria terra colet.

Gra-

Gratulor Indigetem titulis accedere avitis;
  Perfice io! hac una Gens tua laude caret.
Sed tibi quid patrios noceat celebrare penates?
  Num minus hic virtus quo tua creſcat, habet?
Hic quoque ni refugis, licet exæquare triumphis
  Degentem in ſolis Serapiona jugis;
Et poſſis nimbo frontem circumdatus aureo
  Non trita ad Cœlum pluribus ire via.
Ah valeant triſtes nimium nimiumque ſeveri,
  Abdita quos virtus rupibus una juvat!
Non eſt ſilveſtri nec triſti prædita virtus
  Indole, nec tenebris vult ſua facta tegi.
Exeat, & totis præbens ſpectacula terris
  Splendeat illuſtri ſuſpicienda loco.
Sic proſit, vitæque inter latrantia ſaxa
  Nocturnum late per vada monſtret iter.
An Stanislaï, quem reddis nomine, virtus
  Utilior terris, ſi latuiſſet, erat?
Verba ſed heu perdo! ſcribenti litera venit,
  Te Tiberim profugo jam tetigiſſe pede:
Jam fuſcos ſumſiſſe habitus, capitiſque minorem
  Lojolidum tonſâ caſtra ſubiſſe coma.
Sæve, quid exſultas palma ceu victor adepta?
  Jam faxo pigeat te, pudeatque fugæ.
Quamvis longinqua ſimus regione remoti,
  Non eſt ignotum nomen in urbe meum.
Poſſum ego ſupplicibus Romam miſcere tabellis,
  Tuque licet pugnes, eripiere tamen.
Poſſum, ne ſperes cœptum pervincere ludum,
  Ipſa quoque armato milite ſepta vehi.
Et faciam. irrumpamque aditus, & clauſtra refringens
  Hic, dicam, meus eſt, injiciamque manus;
Neve fuga, ſcelerate, queas evadere rurſus,
  Addam ego maternâ ferrea vincla manu.
Hei mihi! quo rigidis tenerum vincire catenis?
  Ignoſcas: æger pectora turbat amor.

Apta

Apta magis niveo gemmata monilia collo:
  Apta magis pulchris florea ſerta comis.
Ipſa manu veſtes propero tibi, mœſtaque nutrix
  Aſſidet, & Phryxi ſedula torquet ovem.
Scilicet his curis ſolatia quæro dolori.
  Hei mihi! ſi dura mente redire neges.
Sed puto, flectéris; nec enim tibi pectora ferro
  Conſtant, nec medio ſtat tibi corde ſilex.
Certe ego quam fugias, non ſum tibi dira noverca;
  Nec tibi, ſi memini, toxica ſæva dedi.
Matris amor ſi crimen habet, peccaſſe fatebor;
  Nec poſſim culpæ pœnituiſſe tamen.
Ergo ſi qua tibi eſt pietas, nec pectore toto
  Excidit officii gratia vana mei:
Si quidquam menſeſque decem, ſævique dolores,
  Anxiaque ancipiti vita puerperio:
Atque amor & ſtudium de te meruere, parentem
  Ne, per quam vivis, Nate, perire velis.
Hoc lacrymis triſtiſque Pater, mœſtique propinqui,
  Poſcit & hoc lacrymis parva, minorque Soror.
Hoc & Germanus poſcit, quem pœnitet iræ,
  Utque ſibi ignoſcas triſtia facta, rogat.
Obrueris lacrymis, mea lux! votiſque tuorum.
  Ecquid ad hæc cœpto mens tua perſtat adhuc?
Scribere plura quidem vellem, ſed me dolor ægram
  Opprimit, & nimiis charta madeſcit aquis.
Atque utinam macie quam ſim confecta, videres!
  Molliret ſenſus triſtis imago tuos.
Jam medici noſtram prope deſpondere ſalutem,
  Exitiumque, redis ni cito, triſte canunt.
Aut igitur cito fac redeas, aut lætus in horas,
  Noſtras exſpectes jam licet exſequias.

STANISLAUS KOSTKA

MARGARITÆ KRISKÆ M.

RESPONSIO.

FLEBILIBUS conſcripta notis, & plena querelis
Pervenit in noſtras littera mœſta manus;
Ille ferox, & quem crudelem nomine dicis,
Haud legi ſiccis, nec pudet, iſta genis.
Quodque ego ſim tanti, Mater! tibi cauſa doloris,
Alterno mihi mens ægra dolore jacet.
Certe ego ſi poſſem mentem mutare priorem,
Si poſſem patriis reſtituique focis:
Non me fortunæ revocaret ſplendor avitæ,
Non honor, & veteris tot decora alta domus;
Nec quæ promittis reduci faſtigia rerum,
Sive ſagi quæram præmia, ſive togæ:
Unica tu potius reditum, Cariſſima! nobis
Suaderes, lacrymis eriperesque tuis.
Sed quoniam Deus ille vetat, pertendere noli,
Et ſinito incœptam, quo vocat, ire viam.
Nam quod me læſæ pietatis nomine damnas,
Ignoſco. veſter ſemper aberrat amor.
Mater es, & matrum conſueto more locuta,
In crimen, laudem quæ meruere, vocas.
Nempe ego divino præponam matris amorem?
Hei mihi ab admonitu mens animuſque fugit.
Ordine ſi careat, pietas quoque peccat, & exlex
In vitium, amiſſo nomine laudis, abit.
Nec me quod fugi, Germani injuria movit.
Altius eſt noſtræ cauſa petenda fugæ.
Jam pridem cœtuque hominum rerumque tumultu
Defungi certus, ſi mihi credis, eram.

Sæpe

Sæpe mihi dixi: Quid ceſſas, lente viator?
Aſtra vocant: mundo terga daturus abi.
Non temere eſt quod te capiunt faſtidia rerum:
Hoc quoque, ſi neſcis, pondera vocis habet.
Loiolidum te caſtra manent: celer arripe curſum,
Fratris & occultâ lumina falle fugâ.
Sæpe quidem volui furtim diſcedere tectis,
Hei mihi! vix tacto limine, Frater adeſt.
Sæpe etiam ingreſſuſque viam campoque potitus,
Extimui, cœptam ſuſtinuique fugam.
Nox erat, & lacrymis per mœſta cadentibus ora
Ducimus in longam vota preceſque moram.
Hic mihi Divinæ viſa eſt Genitricis imago
Ter, quater haud dubia dicere voce, Fuge.
Nulla mora eſt, fugio: fugio, ſanctiſſima! dixi:
Nec metus ignotas te duce inire vias.
Vix ea, ſurrexi trepidus, foribuſque recluſis,
Corripio nullo conſpiciente fugam.
Frater, ut agnovit, ſubita incandeſcere ab ira,
Et profugum curſu præcipitante ſequi.
Ecce autem attolli toto procul æquore pulvis:
Imminet: effugii ſpes mihi nulla ſuper.
Adſis o, Fratremque fuga da fallere, Virgo!
Da mihi, ſi juſſam te duce carpo viam.
Vix bene finieram, videas hærere quadrigas,
Et conſternatos uſque reſiſtere equos.
Jam ſtimulos, jam flagra adhibet, jam rector habenas
Concutit irata terque quaterque manu.
Nil tamen iſta juvant: ſaxo per pectus oborto
Credas in media diriguiſſe via.
Quid memorem nunc dura inter cœlique, viæque
Qualia ſecura gaudia mente tuli!
Quamvis aut nunc ſol graciles exureret artus,
Luridus aut pluviæ læderet imber aquæ,
Aut ſiccas mihi torreret ſitis improba fauces,
Tantula & ad victum vix foret atra Ceres:

Difficileſque idem peterem per devia ſomnos:
Ipſe mihi in niveis ire videbar equis.
At mea ſermones vulgo fuga præbuit: eſto:
Non ego, non vulgi murmur inane moror.
Contenta eſt oculis Superûm mea vita probari,
Scenaque plus ſenſus afficit iſta meos.
Quamlibet accuſes, laudemque in crimina vertas:
Nil fuga, ſi quæris, noſtra ruboris habet.
Quem damnas, cultu quum me conſpexit in illo
BORGIA, Cæſareo ſanguine junctus eques:
Macte, ait, o generoſe, fugâ! ſic itur ad aſtra:
Nec mora, felices juſſit inire lares.
Conveniunt Magnique Patres, Proceresſque Quirini,
Certaque dant animi pignora quiſque ſui.
Gratantur, laudantque fugæ, votiſque precantur
Eventus habeant grandia cœpta pares.
Verum age quod laudant, carpant magis: & mihi ſuavis
Dura fac inciderit, difficiliſque via;
Quantula io! cenſes diſpendia talia? nempe
Parta foret nullo tanta labore quies.
Ut genus hoc vitæ felix mihi quærere fas ſit,
Omnia proponas dura & iniqua, feram.
Non ego ad extremos genibus perrepere Seras,
Atque ultra ſedes vadere Memnonias,
Nec dubitem Alcidæ, ſi quis fuit ille, labores
Perferre, & Regis triſtia Dulichii.
Hæc tunc vita fuit quum nondum uxorius Adam
Totum infeciſſet labe nocente genus;
Quum Pudor, & Pietas lætis errabat in agris
Cunctaque ſecuræ plena quietis erant.
Atque utinam poſſem verbis expromere, Mater,
Quam læta felix nunc ego ſorte fruar!
Certe equidem haud totos, ut nunc, deperdita ſenſus
Lamentis abitum proſequerere meum.

Quin

Quin poſito luctuque, & femineo ululatu
  Gauderes miris gaudia noſtra modis.
Hic ſecura Quies, Diviſque accepta ſecundis
  Imperturbatos Pax colit alma lares.
Hic mores rectique vigent, hic ardor honeſti
  Nobilis, & ſtudiis mens operata bonis.
Nulla hic ambitio, nullum certamen honoris:
  Extremo lis eſt diſcubuiſſe loco.
Quam juvat, ardentes ubi Veſperus extulit ignes,
  Membraque ſub noctem feſſa labore jacent,
Hic meus eſt, dixiſſe, dies: pars nulla caduca eſt:
  Nulla & promeritis hora vacavit iners!
I nunc, & mihi tam læta regione moranti,
  Ut revoces, fluxas objice, Mater, opes.
Felix Kostkiade, cui numquam tale merenti
  Contigit Elyſium ſic habitare nemus!
Et cuiquam miſerandus eris? age mitte querelas,
  Mater, & indignas parce rigare genas.
Maxima lætandi cauſa eſt tibi, nulla dolendi:
  Hæc me cum vera crede referre fide.
At tibi ne poſſis, quæ ſunt manifeſta, videre
  Æger præſtinguit lumina mentis amor.
Hic etiam facit, ut ſcribens aliena loquaris,
  Et cauſam prodas immemor ipſa tuam.
Ecquid ſi duri certamina Martis adirem,
  Si premerem galea miles & ære caput;
Et latus objicerem telis, medioſque per hoſtes
  Miſcerem inſuetâ prœlia dura manu;
Tunc ego tunc poſſem laudari, & jure viderer
  Judice te capiti conſuluiſſe meo?
Idem quod ſacris tranſcripſi nomina caſtris,
  Suſcepi tutum militiæque genus,
Mitibus atque agito lætum ſub legibus ævum,
  Jam perii, gravius conſuluique mihi;
Et mea jam tumulo defleti corporis oſſa,
  Exigui ſpatium temporis adde, jacent.

Quid tantos, Genitrix! tibi fingis mente timores?
Invidiam falſo ſuſtinet iſte locus.
Hic etiam licet in longum producere fata,
Mutatoque albam crine referre comam.
Fac tamen exſtinguar primo conſumtus in ævo:
An, Cœli brevior quod via facta, querar?
At nihil eſt metuas de me quod talia, Mater!
Hei mihi! plus vivax, quam quoque credis, ero!
Nondum ego terrenas excidi e corpore peſtes,
Concretum nondum perdomuique nefas;
Nec dum etiam lacrymis in me cœleſtis origo
Funditus abſterſâ lucida labe nitet.
Quo magis incœptum finito me currere curſum,
Et genus hoc vitæ militiæque ſequi.
Hic mihi dum vivam, fas ſit perferre laborem;
Non datur e terris mollis in aſtra via.
At mihi ſi lubeat (ſic fallax littera narrat)
Deſerere incœptæ munera militiæ,
Iſtic ad laudem velis majoribus ibo.
Erras: haud alia me decet ire via.
Qui ſemel impreſſo tellurem vertere aratro
Cœperit, & retro poſt ſua terga videt,
Nequicquam patrio ſperet confidere regno:
Sic ait, & vero præmonet ore Deus.
Quid quod ne poſſim ſacris diſcedere caſtris,
Objecta per te relligione vetor?
Tu mihi, tu quondam (memini) narrare ſolebas
Omina natales quæ præïere meos:
Neſcio quis gravida fulgor tibi viſus ab alvo,
Qualis quum roſeo Phoſphorus ardet equo;
Tum tibi, Lojolidum felix quod teſſera præfert,
Auguſto inſcriptus nomine venter erat.
Ergo quid fruſtra Superûm contra omina pugnas?
Exitus hic vitæ debuit eſſe meæ.
Fruſtra jam precibus, fruſtra pugnabis amore,
Fruſtra & maternas experiere minas.

Quid

Quid mihi cum rigidis, quas jactas, ſæva catenis?
  Non ſum qui poſſim per tua vincla trahi.
Jam retinent vinctum Divinæ vincula Matris,
  Numinis & de me tanta merentis amor.
Hæc ego, queis teneor felix, ſi rumpere poſſim
  Vincula, & excuſſo vivere ſervitio;
Tunc licet Armenia dicar de tigride natus,
  Tunc ferus, & ſcopulo durior Hadriaco.
Ah Mater, rerum Mater Cariſſima! ſi te
  Vera mei fixa in pectore cura tenet;
Conſilia in melius referas: jam pone querelas,
  Neu ſortem, tanquam ſit mea flenda, dole.
Tu quoque, tu pro me potius gratare Tonanti,
  Et memori laudes, ut decet, ore cane.
Certe ego non fuerim, præſtem licet omnia, gratus.
  Quo magis hac oro me quoque parte juves.
Sic tibi Cœleſtes optes quæcumque ſecundent,
  Totaque ſint vitæ candida fila tuæ;
Et mala pallentes quæ nunc vis occupat artus,
  In pelagus rapidis Viſtula portet aquis.
Hoc quoque me precibus pro te contendere par eſt.
  Et facio, oblitum nec videt ulla dies.
Ergo vale, & mihi ſubmiſſa te fronte roganti
  Maternâ, precor o, fauſta precare manu.

DAVID ABSALONI F. PERDUELLI.

ACcipe, Nate! tui quæ venit epiſtola patris,
  Si tuus eſt, contra quem capis arma, Pater.
Diceris (infandum!) populos in bella ciere,
  Impiaque in patrium poſcere tela caput.
Hæccine naturæ pietas illa inſita lege?
  Hic tuus in nos eſt obſequioſus amor?
Hoc & pro meritis tantis, ingrate, rependis?
  Et pater hæc de te præmia nempe fero?

Qui ſum te tenero ſemper complexus amore,
  Qui potui votis nulla negare tuis;
Qui cenſus, & opes, & quidquid quærere poſſes,
  Plus quoque quam ratio poſceret æqua, dedi?
Idem, quum letho fratrem, ſcelerate! dediſti,
  (Infelix Ammon, hei mihi, ademte jaces!)
Debueram certe depoſcere ſanguine pœnas;
  Ignovi, & patris mollior ira fuit.
Quin etiam, quum te tota procul urbe fugaſſem,
  Nec ſinerem vultus, dure! ſubire meos;
Emotus tandem lacrymis, precibuſque recepi
  Mitis, in antiquum reſtituique locum.
At non hæc certe mihi tunc promiſſa dediſti,
  Sed fore te patrio ſemper in officio;
Nec quidquam facturum adeo, quod tempore in ullo
  Cauſa mihi luctus quantulacumque foret;
Ante & Jordanis curſu reditura ſupino
  Flumina, decideret quam tibi cura mei.
Stultus ego hæc verâ te dicere mente putabam,
  Quæ nimis eheu! nunc vana fuiſſe liquet.
Jam tum tendebas caſſes, animoque fovebas
  Conſilia in noſtrum poſt reditura caput.
Et merui: ſiquidem monitus in tempore fidos
  Audiſſem, nulla parte timendus eras.
Sæpe mihi Joab fidam taciturnus ad aurem
  Hæc mihi cum multo dicta dolore dabat:
Rex, cave: quid ceſſas? jam nunc tua regia proles
  Neſcio quod tacita mente volutat opus.
Blanditur, prenſat, currus parat, aureus urbem
  Ambulat, & ſpeciem ſceptra gerentis habet.
Hoc ego non potui de te tunc credere crimen:
  Sed quod nec potui credere, inique! facis.
Patria ſi pietas vultu quoque læditur, ecquid
  Læſa ſit horrendâ proditione parum?
Majeſtas violata foret ſi regia tantum,
  Pœnarum quovis nomine dignus eras:

Nunc

Nunc pater & princeps facto quum lædar eodem,
  Ecqua ſatis poſſit pœna piare nefas?
Hæc in me vellem ne nomina bina coiſſent,
  Tunc noſſes, Regum quam gravis ira venit.
Felix, quis credat? læſa pietate fuiſti!
  Temperat offenſi principis arma pater.
Hei mihi, quam diſpar tecum certamen initur!
  Tu partes imples hoſtis, amantis ego.
Perdere tu me vis, ego te ſervare laboro:
  Et metuo ne me qui petis, ipſe cadas.
O ego ſi poſſem diro ceſſiſſe furori!
  Ne caderes, captas quæ male, regna darem.
At niſi reſtitero, clament in me omnia jura,
  Et populi peragar publicus ore reus.
Quid mihi cum bello? leges ignoſcite! durum
  Ah nimis eſt regem præpoſuiſſe patri!
In diverſa trahunt unum duo nomina pectus:
  Pugnant ante oculos rexque, paterque meos.
Quod patris eſt votum, regis fortuna refellit:
  Ut vincas nolo rex, voveoque parens.
Sed tamen hæc inter cavi tibi, perfide! quantum
  Servata regis conditione licet.
Quum proceres inter ſolio radiante ſederem,
  Marte ſuper trepidi conſulerentque duces;
Jam pars una pedes campis jamque ire pararet,
  Ardua frenatis pars veheretur equis;
Quæ cenſes de te dederim mandata, ſceleſte!
  Hei mihi adhuc mœſtis fletibus ora madent.
Non ego non illis mando, ut certamina fortes,
  Poſtulat ut regni publica cauſa, gerant:
Non loca, non tempus magis apta requirere pugnæ,
  Utque decet, parta laude redire domum.
Hæc ego, quæ fuerant regis mandata, relinquens
  Altera ſollicito digna parente dabam:
Magnanimi proceres! en quo pervenimus! inquam:
  In natum cogor ſuſcipere arma pater.

Si

Si quid Jeſſidæ, ſi quid vos gratia Regis,
Et patrius ſi quid pectora tangit amor:
Rem gerite, at puerum miſero ſervate parenti:
Hoc ego Rex vobis mando, Parenſque rogo.
Non illum, quamvis in me ſit perfidus, odi:
Quidquid agit, ſanguis eſt tamen ille meus.
Plura locuturum procerum lacrymante corona
Singultus mediis præpediere ſonis.
Scilicet iſta mea eſt pro triſtibus ultio factis,
Simque licet per te proditus, hæret amor.
At tu, cui mitem mos eſt odiſſe parentem,
Penſas offenſis tot benefacta novis.
Jam certus patria regnum tibi cæde paciſci,
Infanda populos ſeditione cies;
In facinus ſumtis duce te concurritur armis,
Nullaque pars diro Martis amore vacat.
Quo periture ruis? furialia cœpta relinque:
Neſcis ultorem poſt caput eſſe Deum?
Scilicet ex alto proſpectet lentus Olympo,
Quo nullum majus ſæcla tulere nefas?
Nec jam fulmineas tantus conſurgat in iras,
Quantus tartareo torquet in igne reos?
Fallimur? an toto crepuerunt claſſica cœlo?
Viſaque per nubes arma dedere ſonum?
Noſco equidem: Deus, ecce Deus! vindexque parentis
Hæſura in diro pectore tela gerit.
Vindice ſub tanto non fas adverſa timere:
Jam pridem forti me tegit ille manu.
Ciſſidæ potui furias evadere, quamvis
Inferior longe viribus unus eram.
Ille potens regnis, ego pars quotacumque popelli:
Ille erat inſtructus milite, inermis ego:
Ad cædem tantis quærebat viribus ille:
Quæſito mihi nil, unde juvarer, opis.
Nunc contra tantis ineam quum prœlia turmis,
Regalique geram ſceptra timenda manu,

Et

Et pater in natum male proditus arma capeſſam,
  Poſſum ego conatus, ſtulte! pavere tuos?
Vellem Ciſſides vitaſſet Numinis iram!
  Hei mihi quam diro funere merſus obit!
At quid ago infelix? & vulnera ſæva retracto?
  Sæpius audita eſt tanta ruina tibi.
O utinam ſaperes, & qui fuit exitus illi,
  Concuteret juſto pectora ſurda metu!
Externi exitium qui me petiere, tulerunt:
  Tu qui me patrem prodis, inultus eris?
Europæ, atque Aſiæ, terræque Libyſtidos arma
  Sub tua certatim ſigna licebit, eant:
Nil agis: in tenues recident molimina ventos,
  Et tibi pro lauro triſtior arbor erit.
Nuper quum media caperem de nocte quietem,
  Terruerunt animos talia viſa meos.
Vidi ego te trepidum ex acie, Martiſque tumultu
  Dantem ſollicitæ terga repente fugæ.
Quadrupedantis equi ſubigis latus: ocyor Euro
  Ille volat: curſu devia rura petis.
Obvia quercus erat: ramo fugientis adhærent
  Implexæ vento concutiente comæ.
Multa reluctatus pendes tamen arbore: liber,
  Utque erat a curſu concitus, ibat equus.
Ecce autem procul horrendis conſpectus in armis
  Miles, & in vultu ſigna minantis erant.
Quid facis? exclamo: nihil ille: at protinus haſtam
  Torquet agens: prohibet ſcribere plura dolor.
Excutitur terrore quies, geliduſque ſecutus
  De toto ſudor corpore membra lavat.
Ex illo afflictus vitam traho, nec mihi ceſſant
  Unquam tabifico rore madere genæ
Triſtis & ante oculos ſemper mihi quercus oberrat,
  Et videor caſus ipſe videre tuos.
Scilicet huc recident male ſanæ cœpta juventæ:
  Regna petis juveni dum tibi, fata paras.

For-

Fortunæ impatiens, nimium vis eſſe beatus,
  Et properas idem, quod fugis, eſſe miſer.
Quam metuo ne dum temere ſublimia captas,
  Viſas infernæ triſtia tecta domus!
Vinea non illic Engaddi, & Galgala myrto
  Conſita, & irriguis buxifer Hebron aquis:
Regia non, pulchræque ædes, quas ſcilicet unus
  Ut teneas, patria ſpargere cæde juvat.
Tune igitur (triſti nullum ſit in omine pondus)
  Ibis in æternos hei mihi! præda rogos?
Si potes ah! tantam, ſed non potes, effuge peſtem,
  Dumque licet, ſæva projice tela manu.
Nec metuas, quod tu regemque, patremque petiſti:
  Triſtia Lethæis acta dabuntur aquis.
Quo prius ipſe loco fueras, eodem eſſe licebit,
  Pluraque quam tuleris: tu modo poſce: feres.
Sic erit; & major quo ſit fiducia, ſpondet
  Hoc interpoſita rexque, paterque fide.

S. JOANNES FRANCISCUS REGIS

P. MUTIO VITELLESCO

Præposito Generali Soc. J. S.

ARGUMENTUM.

Summopere petit facultatem tranſmittendi in Americam ad Cannadenſium ſalutem procurandam. (*)

En iterum tibi cum lacrymis, Pater optime, fertur
  Conſcia propoſiti pagina fida mei.
Jam pridem mihi quæ dederas, mandata peregi,
  Per longas Superos conſuluique moras.

Quo

(*) *Vide ad hujus Elegiæ calcem exemplum autographæ Epiſtolæ, cujus ſententias hoc carmine complexi ſumus.*

Quo magis atque magis precibus reſponſa requiro,
Inceſſit thyrſo me graviore Deus.
Nil, niſi Iroquæos, terramque Huronida verſo:
Anxius & blandis paſcor imaginibus.
Jam videor mihi barbaricos luſtrare receſſus,
Cultaque ſemiferis viſere teſqua viris;
Jam capiti paſſim ſanctos invergere rores,
Agminaque Auſoniis tota piare ſacris.
O utinam, quæ tantâ animus ſpe præcipit orſa,
Eventus per ſe ſint habitura ſuos!
Ipſe (nec inficior) male fortis fortia conor:
Conari ſed qui me facit, addet opem.
Quos legit, & lectos paribus Deus inſtruit armis,
Nec ſinit injuſto pondere terga premi.
Aſpice (1) Saphatiden junctâ bove rura colentem:
Quam bene fatidici munia vatis obit!
Tum rudis upilio Tecue de ſaltibus Amos
Attonat horrendis impia ſæcla ſonis.
Nil ego quum poſſim, poſſum tamen omnia; tantis
Si qui me cœptis deſtinat, auctet ope;
Det modo quæ jubeat, jubeat quæcumque, faceſſam,
Nec metuam ne non perficere orſa queam.
Hei mihi! quid ceſſo? viden' ut mercator ad Indos
Solvit, & audaci remige verrit aquas?
Nempe ut longinquo referat ſub ſidere natas,
Utilius tellus quas ſua celet, opes,
Æquora non, ſcopuloſque, & monſtra natantia Ponti
Horreat, ignotas præcipiatque vias?
At nos qui cauſa tanto præſtamus, inertes
Ducimus heu patriis otia littoribus!
Qui cauſa præſtat, præſtet quoque rebus, & illuc
Quo pietas, & fas imperat, acer eat.
Aſpice Cannadicam, late qua pertinet, oram!
Tam vaſta heu! nullo vindice terra perit.
Sci-

(1) *Eliſeus filius Saphat.*

Scilicet obſcænis Pluto ſacratus in aris
  Gaudeat infanda relligione coli?
Quoſque Dei ſoboles Deus ipſe redemerit; auſit
  Impune injuſtis tollere vindiciis?
Eſt mihi ſuffixum referens in ſtipite Numen
  Parva, ſed artifici picta tabella manu.
Hanc ego jamdudum (ſi fas mihi vera fateri)
  Cernere non, duro ſim licet ore, queo;
Illa mihi quamvis tacitis convicia verbis
  Uſque facit, lentas increpitatque moras:
O piger! o noſtrum nunquam doliture dolorem!
  Ceſſas, & nil te vulnera noſtra movent?
Quos propter, tantos potui perferre labores,
  Ipſe nec exiguo, dure! labore juves?
Nate Deo; tua non poſſum convicia ferre,
  Frangor, & attonito flagrat in ore pudor.
Ibo, nec facies deterreat ulla laborum.
  Jam mihi jam longum, patria terra, vale.
Alma Fides totum late ventura per Orbem
  O ades, & niveâ carbaſa ſolve manu!
Ille ego ſim, ſacris per quem luſtranda Latinis
  Accedat ſignis Cannadis ora tuis:
Quem terat aſſiduuſque labos, & triſtis egeſtas,
  Cui ſitis, & pallens torqueat ora fames;
Quem merſet ſub aquis, quem lento torreat igni
  Barbarus, aut ſtricto cui petat enſe latus.
Unde ſed hæc nobis? alios ea palma ſequetur:
  Nos manet, heu! patrio ſub lare funus iners.
An male præteritæ commiſſa piacula vitæ,
  Obſtetis votis ſemper iniqua meis?
Peſtifer annus erat, totaſque impune per urbes
  Sternebat paſſim corpora dira lues.
Ecce manus, JESU caſtris quæ militat, ardens
  Proſilit, & miſeros qua licet, arte levat.
Me quoque ſi poſſem mortem pro laude paciſci,
  In turbam, & cædem pulcher agebat amor.

Nec

Nec mora, do nomen, lacrymis, prece, queſtibus inſto,
Omniaque admoveo tela; repulſa venit.
Eheu! quid miſero reſtet mihi, nunc quoque votis
Si veniat per te dura repulſa meis?
Parce Pater, neu me ductum ſpe decipe inani:
Non ego militiæ poſco aliena meæ.
Ah valeat! qui caſtrorum ſecurus in umbra
Suſtinet ætatis tempora pigra teri.
Militis officium noſtri eſt, non caſtra fovere
Segnem, non patriis inſenuiſſe focis:
Exeat, excurratque vagus, qua naſcitur, & qua
Occiduo Titan mergitur Oceano.
En nova in Ammerices aperit ſeſe area regnis:
O quali vecta eſt Gallica claſſis ave!
Serius at duri ſunt rupta repagula Ditis:
In nova Relligio commigret arva licet.
Jam Fidei pia Maſſæus (1), fortiſque (2) Briardes
Spargunt barbarico ſemina prima ſolo.
Nec male reſpondet culturæ terra: ſed eheu!
Pars quota, nempe operis culta duabus, erit?
Vidit & hoc magni mens provida Regis: (3) & ultro
Quid, mea Loiolidum turma, moraris? ait,
Veſtrum eſt Cannadicis operas inducere campis:
Ex illo ſeges eſt læta petenda ſolo.
Nam mihi Gallorum quo rem protendere, ſi non
Et ſua protendat regna Latina Fides?
Salve o magnorum ſalve Rex maxime regum!
Non tua, cui vincis, deſeret arma Deus.
At tu quid ceſſas Canadæ tranſcribere Gallos?
Quod faceres per te, Rege rogante neges?
Sed neque tu ceſſas, nec quæ tua pervigil omnes
Pertinet in partes cura, monentis eget.

Jam-

(1) *PP. Enemundus Maſſæus Lugdunenſis, &*
(2) *Petrus Briardus Gratianopolitanus.*
(3) *Henricus IV. Galliarum Rex.*

Jamque hos, jamque illos ſolatur epiſtola felix:
  Sed quæ ſoletur me quoque, nulla venit:
Nulla venit, totoque exſpectans irritus anno
  Scilicet incuſo facta nefanda mea;
Namque aliud quid ſit, quod votis uſque repugnet?
  Aut nihil, aut votis iſte repugnat obex.
Me mea privari, credo, provincia nolit,
  Cui gravis, atque omni parte pigendus ego.
Ingenium mihi nam triſtis natura negavit,
  Ut nequeam trita Pallados ire via.
Nota loquor: cenſu doctrinæ excluſus, in imo
  Hæſi militiæ per tua juſſa gradu (4).
Nec tædet, lætorque magis: non omnibus apta
  Omnia ſunt: quiſquis quæ potes, arma geras.
Si mihi Socraticas non fas eſt tangere chartas,
  Docta nec in ſacro verba tonare foro;
At poſſum pueroſque rudes, & plebis egenæ
  Agmina præceptis inſtituiſſe piis:
Poſſum deſertos excurrere fortis in agros,
  Et colere agreſtes, ruſtica corda, manus.
Teſtes Velaunûm montes, nemoroſaque teſqua,
  Et loca montanis vix adeunda feris.
Non mihi præruptas labor eſt erepere cautes,
  Pellereque obſtantes pectus ad uſque nives.
Nec piget hibernos ſub divo carpere ſomnos,
  Et temere in nuda ſternere corpus humo.
Si quid id eſt, poſſum minimo quoque vivere, nec me,
  Hoſpitio quiſquam ſentiat eſſe gravem.
Da mihi quæ paſſim currunt Acheloïdas undas,
  Da Cererem exiguam, cætera parce, ſat eſt.
Quid tamen hoc refert? lento præcordia voto
  Tendimus, ingratas pertrahimuſque moras.
Scilìcet hic ſtandum eſt, parmaque inglorius alba
  Hanc animam in caſtris deſes oportet agam.

At

(4) *Cepit enim, ut dicimus, gradum in Societate.*

At non hæc certe quondam ſperare jubebas:
Eheu! nunc alia cur mihi mente venis?
Scribebas (memini) Perfer, maturaque nondum,
REGIADE parvâ concoque vota morâ.
Hei mihi pro parva quanta eſt mora! præterit annus,
Nec deſideriis aura ſecunda venit.
Vos eritis teſtes incenſaque queſtibus aſtra,
Nullaque non mœſtis humida nox lacrymis.
Non ita in apricis coquitur vindemia ſaxis,
Cana nec æſtivi ſideris igne Ceres,
Ut matura mihi trepido ſub pectore vota
Fervent, tam longas neſcia ferre moras.
Atque utinam ingentes, quibus æſtuo, cernere curas
Poſſes, aut qui me ſpiritus intus agit!
Haud aliter teneor patriis incluſus in oris,
Quam cui barbaricâ compede crura ſonant;
Quamque ubi viſa fera eſt, venaticus Umber, anhelo
Pectore quem non vis ulla tenere queat.
Par deſiderio non ſum, Pater! opprimor eheu!
Et potes ad ſenſus ipſe referre tuos.
Namque olim Albionem percuſſus amore juvandi
Tu quoque ſenſiſti, quam ſit amara mora:
Tu quoque quam grave ſit, quod aves, non poſſe tenere:
Jam mihi libertas ſit tua facta loqui.
Te memorant illis ægrum ſediſſe diebus,
Fundentem aſſiduas nocte dieque preces.
Pallor erat vultu, qualem Berecynthia buxus,
Aut nova derepto cortice cedrus habet.
Tum lacrymæ potus, dolor eſca, inſomnia ſomnus,
Vixque erat ex illo nomen & umbra viro.
Scilicet hærebat cordi lethalis arundo
Anglia Romano concilianda Patri.
Ergo expertus idem, noſtros ne deſpice luctus.
Hei mihi ſi nihilo te magis iſta movent!
Cur molli reliquis, uni mihi pectore duro es?
Quid tantum admiſi commeruique, Pater?

Aut bene promerui, merces ſit barbara tellus:
Aut male, ſit pœnæ pars quotacumque meæ.
Quod te per Superos oro, per Numen, & illam
Quæ finxit mores cura paterna tuos,
Annue; neu me cauſando jam differ in ævum!
Improbus ah! prædas, dum moror, Orcus agit.

Exemplum Epiſtolæ autographæ S. Jo. FRANCISCI REGIS ad P. MUTIUM VITELLESCUM Præpoſitum Generalem S. J. quæ Romæ in Tirocinio ejuſdem Soc. religioſe aſſervatur.

ADMODUM REV. PATER.

P. C.

RESCRIPSERAT *V. P. mihi, quæ eſt ejus humanitas ſingularis, & quidem, tunc ſe rationem habituram deſiderii mei circa Cannadenſem Miſſionem, quum primum id maturum foret. Ecce jam integer ab ejus ortu decurrit annus, paſſum eſt hyemem totam, totum floruit ver, tota maturuit æſtate, & autumno; maturum certe eſt. Legat, & eligat illud tandem Veſtra benignitas, per Deum, Pater, obteſtor: & ſint licet, qui ab hac Miſſione petenda me avocent, quod, ut ipſis videtur, vix poſſit obtineri, vitione meo, an cuidam quaſi fato noſtræ Provinciæ grandem hanc difficultatem adſcribant, ipſi viderint; talem tamen ego Miſſionem non deſpero, præſertim quum magnam mihi ſua epiſtola Veſtra Paternitas jubeat ſpem ipſius brevi conſequendæ. Det igitur quod jubet, ſupplex oro, & jubeat quod vult.*

Veſtræ Paternitatis, Albenaci 21. *Nov.* 1635.

Servus in CHRISTO humillimus,
& filius indignus
JOANNES FRANCISCUS REGIS.

OLYM-

OLYMPIAS

MAGNO ALEXANDRO FILIO.

A navigando Oceano dehortatur.

HANC tua, ALEXANDER, tibi mittit Olympia mater:
  Perlege maternâ verba notata manu.
Diceris Eoi, ſi vera eſt fama, profundi
  Velle per ignotas currere claſſe vias.
Agnoſco pulchros generoſi pectoris auſus,
  Et nunquam reſides ad bene facta manus.
Nil egiſſe putas, niſi ſi majora ſequaris:
  Quo ſatus es, virtus arguit iſta Jovem.
Sed quod pace tua, rerum fortiſſime, dicam,
  Hæſiſti, nec, quo progrediaris, habes:
Quidquid ubique, tuum eſt, nec fas protendere Martem:
  Dî revocant, cœptis præpediuntque viam.
Qua-ſe-cumque dies profert, hac viceris uſque:
  Hoc famam de te poſſe referre ſat eſt.
Nec male cum rerum natura definis: ultra
  Oceani nec ſe porrigit illa vias.
Ultimus hic rebus, ſi neſcis, terminus hæret:
  Poſt terras freta ſunt, poſt freta vaſta nihil.
Utque magis pateat, nec limes finiat Orbem,
  Quid refert? medias objicit æquor aquas.
Cernis, ut inſanis tolluntur cærula ventis,
  Littoraque horrendo rauca fragore gemunt?
Nunc mare ſe fundit, refugis nunc fluctibus aufert,
  Fallit & alterna terra, fretumque vice.
Quin illic turpeſque orcas, ſcopuloſaque cete,
  Piſtrin & immani corpore gurges alit.
Aut Athon, aut Rhodopen credas innare revulſos.
  I nunc, & contra tendere claſſe para.

 Non

Non hic, crede mihi, Ganges, non Indica tellus:
  Monſtra per hæc finem rebus adeſſe liquet.
Non illic roſeos molitur Cynthius axes,
  Luna nec in niveis pura renidet equis:
Navita, quid ceſſas? cœleſtia ſuſpice ſigna,
  Aptaque deprenſæ ſidera quære rati.
Hei mihi! non Helicen, non qua Tyros utitur, Arcton,
  Gnoſida non oculis, Andromedenque notas.
Omnia nocte latent, nec lux, niſi quum tonat æther,
  Tactaque de cœlo pinea texta labant.
Tene igitur tantis caput objectare periclis,
  Certaque ſub diro gurgite fata ſequi?
Scilicet hoc egere tui, generoſe, triumphi,
  Tantus ut ignotis obruereris aquis?
Eheu quid Perſas timui tibi? reddito nunc o
  Granicum, atque alios, quos ego paſſa, metus.
Occideras? flendus fueras, ſine fine; fatemur:
  At fortem mors hæc, quæ decuiſſet, erat.
Atque aliquis: Quid fles? quæſita eſt gloria letho:
  Dis genitos tali non piget iſſe via.
Nunc contra dum quæris aquis ignobile fatum,
  Quod me ſolamen cladis habere jubes?
Pellæo Juveni gentes gaudete ſubactæ!
  Ulciſci veſtram deſtinat ipſe vicem.
Di melius; dirumque omen vaneſcat in auras.
  At tu, ne cogar dira timere, cave.
Non ſunt quæ poſſint tentari marmora remis:
  Stultitiæ pœnas exigit ille locus.
Non ipſe Alcides, non ultra tendere Iacchus
  Evaluit, quamvis dignus uterque Jove.
Plus iſtis audere nefas: temeraria virtus
  Eſt tua: propoſitum mitte, referque pedem.
Sed tamen Oceani, quod non fas, æquora vincas:
  An certa incertis poſthabuiſſe velis?
Quod bene ſit, Pelles exorſus finibus arma,
  Imperium, late qua patet Orbis, habes.

Græ-

Græcia te, Thracumque tremit Mavortia tellus,
  Illyris, & latis victa Propontis aquis:
Adde Getas, Beſſoſque, & ditia regna Syrorum,
  Nilon &, Iſiacæ qui ſecat arva Deæ:
Adde & Achæmenium Tigrin, magnumque Niphaten,
  Totaque gemmiferi littora capta maris.
Singula quid refero? dedit ultima terra triumphos;
  Ceſſit & Æmathiis ſera, recenſque dies.
Quid tamen iſta juvant? ſi vixdum Marte ſubactos
  Protinus elabi poſt tua terga ſinis?
Aut pavet, aut terret, nuper quem viceris, hoſtis:
  Cede procul, poſito ſumſerit arma metu.
Si quæris quid adhuc Mavors tuus egerit ille,
  Dimenſa Imperii eſt forma, moduſque tui.
Altera nunc reſtat tibi pars, attollere molem:
  Huc quoque regales, ſi ſapis, adde manus.
Nunc opus Æmathiis componere legibus Orbem:
  Nunc recta mores inſtituiſſe via.
Quos dolor incendit cladis, clementia placet,
  Teque odio ſi quis nunc habet, æquus amet.
Vindice te felix quod ſit, tibi debeat Orbis,
  Et Tanti, dicat, ſuccubuiſſe fuit.
Huc ergo vigil incumbas: ea gloria prima
  Humanum factis demeruiſſe genus.
Hoc fecit, facietque Deos: ſic Liber, & ingens
  Alcides ſuperis accubuere toris;
Nec Genitor, tonitru quod terret, tantus habetur:
  Quod juvat, hoc majus nil Jove terra colit.
Patris ad exemplum populos terrore repleſti,
  Lætus, quod ſequitur, nunc, faciliſque juva.
Pax redeat, mitiſque tibi ſine tempora circum
  Serpat laurigeras inter oliva comas.
Pax recreat feſſos: Pax horrea meſſibus explet:
  Pax etiam regni firmat, & auget opes.
Gloria nec veſtris, ſi non Pax quæritur, armis
  Ulla ſit: huc fortis ſpectat, & arma capit.

Ergo age mitte acies, placidamque amplectere Pacem ;
Hac fieri Magnum te quoque parte decet.
Hoc rogat & miles, qui rerum feſſus, & æger,
Dum perſtas demto vincere fine, perit.
Reſpice labentes exhauſtis viribus artus,
Membraque jam plagis vix habitura locum.
Tela quoque in manibus paſſim conſumta fatiſcunt,
Atque arma e toto corpore trunca labant.
Quid miſeros trahis in caſum, fatumque ſub undis?
Da terris, niſi ſunt improba vota, mori.
Non recte de te, quid poſſit miles in armis,
Conjicis; æthério non ſatus ille Jove.
Quæ magis augeſcit vis in te, deſit in illo:
Teque ſequi (fletus aſpice) poſſe negat.
Macte opibus, generoſe, tuis! poſt omnia miles,
Per quem viciſti, victus & ipſe tibi eſt.
Quin age, te (quod reſtat adhuc), fortiſſime, vince.
Si facis, hæc palmas vicerit una tuas;
Hæc ſuper Alcidenque vehat, magnumque Bimatrem:
Juppiter, Agnoſco, dicat & ipſe, meum.
Scilicet Eleam quondam curſurus ad urbem,
Committi paribus, ſi licuiſſet, eras;
Dì bene, quod tandem dignam te nactus arenam es!
Hinc plus quam victo laudis ab Orbe feras.
Latius ut regnes, quid te trans æthera notum
Porrigis? ex facili quod petis, intus habes.
Spes avidas, animumque domes: ea maxima demum
Regnaque Fortunæ non ſubitura vices.
Uſque ne te incerto Dominæ pendere favore?
Nec felix, illi debitor eſſe, velis.
Longa quod emeruit ſub te ſtipendia, gratum eſt:
Nunc eat, & miſſæ præmia ſolve Deæ.
Nec, quod adhuc conſtans viſa eſt tibi, fidere perge:
Ut cupiat, finem non habet illa bonum;
Ridet, & ingentes ſecreto parturit iras.
Fallor? an ancipiti ſigna favore dedit?

Nem-

Nempe, ut noſtra tibi narravit epiſtola, nuper
Turbatum tota Perſide pæne fuit.
Vix bellis ingenſque Thoas, fortiſque Cleanthus,
Miſſus & Hæmoniis acer Haleſus equis;
Antipaterque, Giaſque, & ſævi robur Abantis
Diſcuſſit dirum ſumta per arma nefas.
Nunc quod abes noto quamvis ſub ſidere, turbant:
Quid facient, ſi nec cognita claſſe petas?
Hei mihi! jam cerno ſcelerata erumpere bella,
Cunctaque præcipiti turbine Martis agi.
Quid me, crudelis! cenſes fore? ſcilicet illa,
Illa ego Alexandri de Jove tanta Parens,
Forſan barbarico ducar captiva triumpho
Inter Achæmenias ſerva futura nurus.
Me puto, Darii quæ matrem, fata ſequentur:
Capta licet, felix illa, nec orba fuit.
Quem mihi Alexandrum poſt te, ſcelerate! relinquis?
Felix, ſi prædo me nece tollat, ero!
At demens mihi fingebam jam mente triumphos:
Ille meus domito victor ab orbe redit:
Occurram, ſpoliiſque Eoæ gentis onuſtum
Amplectar; reduci primaque grater ego:
Læta triumphalis ſpectabo fercula pompæ,
Et felix populi voce fuiſſe ferar.
Sic ego: nunc contra curis male ſaucia, de me
Quæ-fieri poſſunt-cumque, futura reor.
Sed quota pars tamen iſta metus? utcumque feremus
Iſta: ſed, heu metuo quæ tibi, nempe feram?
Fortis in hoc, fateor, non ſum: de pectore vires
Cedunt, materno conficiorque metu.
Anxia mens de te præſagia triſtia ſemper
Fingit, & exanimem ſuccubuiſſe facit.
Aſpiceres utinam, ſenſus ut perdita labor,
Labor vix longâ reſtituenda morâ!
Utque animus rediit, redeunt in corda pavores;
Nec curas relevat, quum ſubit ipſa quies.

Oceanum nox omnis habet: nunc dira ferarum
  Corpora, nunc imis æquora verſa vadis;
Nunc & demerſâ video te nare carinâ
  Jactantem dubio brachia feſſa ſalo.
Hos inter durare horam me poſſe timores?
  Si poſſem, pelago ſævior ipſa forem.
Parce per o miſeræ lacrymas, luctumque parentis,
  Quæ tibi jam moriens cum prece tendo manus;
Parce ſalum periture ſequi; celerique recurſu
  Incolumem reddas te mihi, meque tibi.
Aut tua ſi precibus flectuntur pectora nullis,
  Certus & ignoto es quærere fata mari:
Me quoque conſortem diri facito eſſe pericli:
  Eſt tanti, tecum ſi periiſſe licet.
Sic ſemel exſtinguar, nec totis mœſta diebus,
  Quæ metuo de te, triſtia fata feram.
Sed cur exſtinguar? vivam magis: & mea tecum
  Candida jam demum tempora ſoſpes agam.
Aut tua me pietas tam longum cognita fallit:
  Aut mihi jam reditus ſpondet adeſſe tuos.

DE S. ALOYSIO GONZAGA

IDYLLION.

SÆPE Dionæis GONZAGAM inceſſere telis
Nequicquam expertus Veneris puer, æger, & amens
Errabat, luctuque animum paſcebat amaro.
Olli non curæ laſcivum fingere crinem,
Non myrto vincire caput; prope lapſa trahebat
Spiculaque, pharetramque humeris: utque ales iniquo
Imbre gravis, preſſis ibat demiſſior alis.
Tum primum Nymphæ in ſilvis, & Oreades altis
Montibus Arcadiæ puerum riſere petulcos
Dejicientem oculos, incedentemque modeſte.
Nec minus æqualis fratrum, laſcivaque Amorum
Huc

Huc illuc manus aſſultans, occurſat eunti,
Moliturque moras, & pulvere conſerit alas.
At Venus, ut vidit mœſtum, horrentemque capillos,
Implentemque ſinum lacrymis, aggreſſa jacentem,
Parce, puer, dixit, lacrymis, exporrige frontem;
Neu tantum mœrere velis. quæ cauſa ſerenos
Fœdarit vultus, animumque abſorbeat æſtu,
Nota mihi: Mene incœpto deſiſtere victum?
Nec poſſe unius transfigere pectus Ephebi?
Qui quondam in ſilvis, interque horrentia clauſtra
Neſtoreis illuſi annis, incanaque menta
Silvicolûm.... ſed enim, modo fidæ dicta parentis,
Nate, velis audire, viam qua denique vincas,
Oſtendam. Puerum telis, ne neſcius erres,
Incaſſumque iterum pugnes, inceſſere noli.
Namque illum intacti ſervatrix Diva pudoris,
(Heu caput inviſum Veneri! qua prœlia mecum
Vi gerat, & quoties nos fregerit improba, noſti)
Hæc igitur, vitæ primas ubi venit in auras,
Exceptum gremio fovit, mentitaque vultum
Nutricis, falſaſque oſtentans vertice vittas,
Multa manu miſcet, Puerique potentibus undis
Membra lavans ullis fecit non pervia telis.
Ergo illum immiſſis fruſtra aggreſſure ſagittis
Diverſa graſſare via: ſepone pharetram,
Spiculaque illa, puer: non omnes omnia vincunt,
Inſidiiſque alios aliis captemus oportet,
Si nos digna manet ſperatæ gloria palmæ.
Ergo age depoſita pharetra pauliſper, & arcu
Opportuna magis cape retia (retia coram
Explicat, oſtentatque leves imitantia nubes)
Eque meis, addit, (noli ſpreviſſe) capillis
Facta vides: feci ipſa manu, longique laboris
Tædia ſuſtinui: nec pœnitet: utere lætus
Matris Acidaliæ donis: his inſtrue dextram,
His venare, puer: certa eſt victoria: vidi

Reti-

Retibus hærentem, qui ſpicula fugit Amoris.
Dixerat, & nato lacrymas ſiccavit obortas,
Permulſitque manu pennas, atque oſcula fixit.
Explicuit frontem, lætaſque procacius alas
Jam non triſtis Amor: manibus vaga retia torquet
Exſultans, fraudique accommoda tempora captat.
Nox erat, & ſeræ puerilia penſa Minervæ
Reddiderat; ſtudiiſque animum Gonzaga remittens,
Æquales inter ludo certabat ephebos,
Cui ſecus innocui ſuccederet alea Martis,
Certandoque minor diſcederet: ille ſuperbi
Hoſtis ad arbitrium pœnas de more ferebat.
Victus eras Gonzaga: Ter oſcula protinus illi,
Victor ait, defige umbræ: projecerat umbram
Parietem in adverſum roſeo virguncula vultu.
Riſit Amor: plaudenſque alas, nunc retia tempus
Tendere, ait. retis non aſpectabile textum
Explicat, & media furtim diſponit in umbra,
Inſeditque locum: tum ne quid fraudis omittat,
Interea fundo converſæ e pyxidis imo
Inceſtas aſpergit opes: collegerat illuc
Narciſſi lacrymas, illuc ſuſpiria Thisbes,
Immiſtumque cruore illuc morientis Eliſæ
Fletum infelicem: diverſorumque furorum
Seminaque, cauſaſque, & quidquid fletis amantes.
At Gonzaga; doli quamvis ignarus, & artis
Tartareæ; trepidare animo, incertuſque morari,
Quid faciat: præſtetne, umbram libare puellæ,
An magis abnuere imperium, legeſque ſuperbi
Victoris. Sancti præſes Dea caſta pudoris
Dilecti capitis ſenſit diſcrimen, & ora
Ora, habitumque tuæ ſimulans, Gonzaga, parentis,
Quid meus, o, cunctaris, ait, nec juſſa faceſſis
Victoris? nempe illa procul deformis imago
Apparens, oculos terret, greſſumque moratur.
Verum age, & ut poſſis certis diſcernere ſignis,
Num

Num quæ juſta tibi tanti ſit cauſa timoris,
Hanc cape cryſtallum: cœleſti purior aſtro
Lucebat, dignamque Deâ cognoſcere poſſes.
Vix dum illam adverſæ Gonzaga objecerat umbræ,
Quum ſubito occulti patefacta Cupidinis arma,
Fallenteſque plagæ, laqueique, nigrumque venenum
Oſtenſum, cæcam quo tinxerat improbus umbram.
Ipſa (nefas) toto cryſtallus palluit orbe;
Loïsidesque horrore artus perfuſus, in umbram
Exſpuit; avertitque oculos: ac ocyor Euro
Proripiens ſeſe cæcis penetralibus abdit.
Macte fuga generoſe Puer! molire triumphos,
Aligeroſque ad frena voces. viden'? ora Cupido
Verberat infrendens, indignaturque doloſas
Nil valuiſſe artes: at vultu Diva ſereno
Gratatur; dextrâque tibi, quæ nunc quoque præfers,
Lilia dat geſtare, nives vincentia primas.

AU-

AUCTOR
AD LECTOREM.

QUUM *duorum e Societate noſtra* ALPHONSI NICOLAI, & BARTHOLOMÆI BOSCOVICKI *Carmina aliquot apud me reperirentur, non tibi ingratum fore, Amice Lector, exiſtimavi, ſi hæc quoque huic editioni attexenda curarem. Vale.*

AL-

Digitized by Google

ALPHONSI NICOLAI

E SOCIETATE JESU

CARMINA.

MARIÆ THERESIÆ

CAROLI CÆS. FIL. FRANCISCI LOTHAR.
MAG. HETR. DUC. UXORIS
IN HETRURIAM ADVENTUS.

ELEGIA.

HUNC cecinit Phœbus, (Pindi vos o juga teſtor)
Qui nunc purpureis Lucifer exit aquis,
Hunc fore, Tyrrhenas olim quo maxima terras
Diva legens, noſtra poneret urbe pedem.
O quoties hunc Flora ſacris operata fatigat!
O quoties ſanctis munera fert adytis!
Sæpe etiam teneros fletu corrumpit ocellos,
Et niveas triſtis ſtat dolor ante genas,
Dum timet ah! ne illum lentis Aurora quadrigis,
Ah! ne illum extremis portet ab æquoribus.
Jam celeber, jam lætus adeſt: nunc ite, timores,
Et rapida fletus evehat Arnus aqua.
Nunc fertis vincire comas, nunc divite gemma
Fas eſt, & flavis tempora chryſolithis.

Huc

Digitized by Google

Huc ades, o mea Flora: togam nunc ſume decoram,
  Qualem ſolemni convenit eſſe die,
Sive illam oſtrino Tyriæ bombyce puellæ,
  Sive auro tenui Gallica pinxit acus.
Serica certatim domus omnis præferat, omnis
  Fulgeat aulæis porticus Attalicis.
Tum ſpiſſæ niteant tædæ per compita, ne nox
  Iſtius poſſit rumpere lucis iter.
At Divûm reſonent felici limina cantu,
  Quem crebrâ geminent æra repulſa manu:
Coſtum molle focis, & cari urantur odores,
  Quos metit intactæ cultor Arabs ſegetis.
Omnia feſta decent: operi non audeat ullus
  Furtivo aſſuetas impoſuiſſe manus.
Jam venit, & portas arcu Regina ſub alto
  Ingreditur magnis edita Cæſaribus:
Qualis frondoſamque Paphon Venus, & ſubit almam
  Delon quadrijugis vecta Diana rotis.
Quanta venit! quantum Auſoniis decus Heroinis!
  Quantus honos patriis ipſa futura bonis!
Regia forma oculis, ſpecies & regia fronti,
  Majeſtas placido lenis in ore ſedet.
Quamquam nec generis titulis, nec corporis illa
  Nititur, aut priſcis geſtit imaginibus;
Sed magnos certat virtute æquare Parentes:
  Hinc gaudet famam nominis ire ſui.
Mî, precor, Aſcræo pateant de fonte liquores,
  Grandior & noſtro ſpiritus ore ſonet,
Illius ut referam ſublimi carmine mores,
  Quos tenero Virtus nutriit alma ſinu:
Et poſſim arcanas animi depromere dotes,
  Quæque latent nullis obvia luminibus:
Sed neque tota latet divinæ mentis imago,
  Nec tantum potis eſt frons operire decus.
Eminet; ac tenebras nativa luce repellit
  Virtus, obductis proſiliens latebris:

Ut

Ut preſſum vitreis aurum pellucet in undis,
  Utque micant calathis lilia vimineis.
Non, non huic ſimilem tulit ætas ulla priorum:
  Aut huic fert ſimiles Cæſaris una domus.
Hæc non humani partus; aut Mater ELISA
  Sola poteſt terris hæc peperiſſe bona.
O mea nunc niveis felix Hetruria fatis!
  Talem cui Dominam Juppiter ipſe dedit.
Cedite jam Divæ, Phrygius quas vidit adulter
  Idæis rixas ducere verticibus.
Has iterum veniſſe ferunt in jurgia, regni
  Dum cuperet noſtri quælibet eſſe Dea.
Huc veteres quoniam per me migraſtis Athenæ,
  Pallas ait, tellus ſerviat iſta mihi.
Hinc dominos faſces, & opes, & ſpondet honores
  Regali Juno nixa Jovis thalamo.
At Venerem tollit cultæ fiducia formæ,
  Formoſam terram nam Dea pulchra decet.
Tum Pater: Hoc merito, Divæ, certamen habetis,
  Nec levis eſt veſtri gloria diſſidii.
Sed Thuſcis legitur terris Dea, parcite quæſo,
  Quæ vos exiguum nomen habere ſinit
Cum bene quæque ſuas retulit, me judice, laudes,
  Pace ſua, hæc omnes poſſidet una ſimul.
Cæſaris hæc thalamo felicibus edita pennis,
  Hæc nunc LOTHARIDÆ nupta beata Viro.
Utraque fulta domus titulis: fert utraque regnis
  Omnia Tyrrhenis munera lætitiæ.
Hic natalis erit: puras hinc ibit in auras,
  Quo valeant nato publica vota, Puer.
Parvulus en Matris jam reptat CAROLUS ulnis,
  Magnanimumque Patrem ducit ab uberibus.
Iſte Puer quantos jam nunc, Oriens, tibi luctus
  Cogitat: huic virtus nam venit ante diem.
Thrax infide, dabis pœnas; jam Boſphorus audax,
  Jam meritas horrent Pontica clauſtra minas.

Olli

Olli Cæſar avus niveum latus enſe revincit;
  Inſidet aurato jam cataphractus equo.
Ah! tibi ne mollem gravis urat caſſida frontem:
  Ah! tibi ne teneras atterat haſta manus.
Vade tamen; Tyrrhenæ acies tua ſigna ſequuntur,
  Relligio caſtris militat ipſa tuis.
Ecce ferox belli pondus conſumit in hoſtes,
  Qua venit, Odryſias Marte refringit opes.
Ante oculos cædes & pingues ſanguine campi,
  Theutonicis gratæ manibus inferiæ.
Cornua fracta legit nequicquam, & barbara mærens
  Iſter captivis funera vectat aquis.
Jamque redis, Princeps; & tanti præmia belli
  Ad patrios mittis parta tropæa Deos;
Et tecum volitans Victoria figit ad aras
  Threiciis vulſas poſtibus exuvias.
Tum te ſceptra manent Orbis; tum gentis Hetruſcæ
  Ibit ad extremos fama Boryſthenidas.
Hæc tua fata, Puer Divûm genus: hæc tibi ſervo
  Juppiter; hanc magnis ſpem Dea Mater Avis.
Te nunc Flora vocat, te te ſuſpirat in una,
  Mater, & abſenti vota probanda facit.
Sit certaſſe fatis, Divæ: ſi cætera deſint,
  Vos Nati titulis vinceret iſta ſui.
Aut poſthac certate, illi quæ ſerviat una;
  Illi quidquid erit, regna ſuperba geret.
Sic ait: illæ acrem vellent celare dolorem,
  Prodidit at victas conſcius ore rubor.
Ergo felicem tanto Jovis omine terram,
  Plaudenteſque tenet regia Diva lares.
Relligio, & Pietas curru vectantur eodem,
  Spes bona laurigeras ſubſequiturque rotas:
Pone venit Pax alma comas redimita decentes,
  Copia mox cornu divite fundit opes.
Hinc omnis lætatur ager, lætatur agreſtis,
  Itque coronato flava Ceres capite:

Et

Et tu, Bacche tener, vultu nova gaudia præfers,
  Sumis & e pleno libera vina lacu.
O decus, o Thuſci ſalve ſpes littoris una,
  Dum te tam niveis accipit alitibus.
Sanctus erit toto nobis hic lucifer anno,
  Ire nec in laudes deſinet uſque tuas.
Ipſe Deam te nunc Arnus vocat omnibus undis,
  Naïs & e ſummo dulce canit latice.
Flora ſuâ nitidas ſolvens de fronte corollas
  Ipſa tuis gaudet ponere temporibus;
Ipſa tibi cultas hortorum dedicat umbras,
  Et capias floris mollia regna, rogat:
Diva veni; nunc omnis hiat, cum vere tepenti
  Mulcet odoratum lenior aura ſolum:
Hic tibi puniceaſque roſas, & candida Nymphæ
  Lilia formoſo molliter ungue legunt;
Et calathis ſtatuunt florentibus aurea poma
  Ante pedes, celebres inſtituuntque choros.
Hic, Regina, tibi ſedes ſit ſemper adoro;
  Nec te nos unquam poſſe carere velis.

THOMÆ DELBENIO

Equiti Hieroſolymario, Summo Etruſci Palatii Præfecto, Supremi Honores.

ELEGIA.

Etsi vix manes, lethum quando omnia finit,
  Tangit honos, juſtum & funeris officium;
Attamen hoc fieri Virtus ſibi poſtulat, una
  Nam potis eſt duram vincere Perſephonen.
Vidi ego, dum vacua flerem defixus in ora,
  Et quererer ſancti triſtia fata Senis,
Ah miſeram, ah Divos teſtantem plurima Floram,
  Miſcentem & teneris omnia lacrymulis;

Naïadaſque inter, Melitem & Nereidas inter
Advectam Etruſcis per freta littoribus.
Non aurum tereti ſtrophio, non vitta capillo,
Candida nec Floræ, candida nec Melitæ
Veſtis erat; quali ſed prodit femina cui mors
Concordi ſocium ſuſtulit e thalamo.
Tum gelido Divæ peragunt ſolennia buſto,
Supremum & mæſtas munus in exſequias.
Principio tædiſque rogum, nigraque cupreſſu,
Et ſectis properant exſtruere arboribus:
Imponunt deinde arma viri, votivaque dona,
Quæ quondam evictis rettulit Odryſiis:
Ter circum purâ luſtrant frigentia lymphâ
Membra, ter accenſam circumiere pyram;
Averſæque faces adhibent; dant thuris odores,
Quidquid & e pingui mittitur Arabia.
Tum flammis uſtos cineres, conſumtaque condunt
Corpora marmoreo molliter in tumulo:
Et tumulum viola, ſertiſque recentibus ornant,
Atque hæc in prima carmina fronte notant:
HAS MELITE TIBI, SANCTE SENEX, HAS ET TUA FLORA.
CUM LACRYMIS TRISTES MITTIMUS INFERIAS.
Fit gemitus: perſtant alterna flere querela,
Ulla nec exſtincti nomine ſaxa vacant.
Ut poſtquam in cineres ſedit Neptunia Troja,
Experta Argivæ robora militiæ,
Corpore propendens toto Iliacis ſuper undis
Plorabat manes Hectoris Andromache:
Vos o damnatæ noctes, & flumina Averni,
Vos o vipereâ cincta Megæra comâ,
Atque Erebi Diræ, vos Hectora reddite; tuque
O Acheronteæ navita turpis aquæ,
Redde virum Andromachæ, & puero patrem Aſtyanacti,
Dardaniique ultorem, & decus imperii;

Reddi-

Reddite, clamabat; ſed littoribus deſertis,
  Et ſurdis gemitus conciderant ſcopulis.
Talis erat Melite: ſic acri victa dolore
  Accubuit ſtructo nixa caput tumulo.
Raptum Equitem immiti mærebat funere, raptum
  Poſcebat trepidis anxia pectoribus:
Et nunc innumeris animi virtutibus illum
  Æquantem dotes corporis egregias
Dicebat, moreſque, & vitam puriter actam,
  Unum ut ſuſpiceret præ omnibus Italia:
Nunc quantus pelago Getulos iret in hoſtes,
  Ætas cum primum fervida ver ageret:
Teſtes Sicaniæque undæ, Tyrrhenaque Doris,
  Heu quantis Nomadum cognita funeribus!
Teſtes Ionio fluitantes littore puppes,
  Roſtraque, & edomito Græcia fracta ſalo,
Græcia virtutumque, virûmque olim inclyta nutrix,
  Nunc ſcelerum, & vitiorum omnium iniqua parens.
Cætera dixiſſet: luctu deperdita ſenſus
  Mens animi, & voces ſurpuit ipſe dolor.
Tum lateri adverſo tumuli caput inclinata
  Sic Flora ingratos alloquitur cineres:
Quid mihi fumoſas incendere profuit aras,
  Reddereque æternis munera Cœlicolis?
Nunc ego percuſſiſque genis, ſciſſoque capillo,
  Eheu deſertâ triſtior Alcyone,
Heu gravius ſolâ ducens ſuſpiria Progne,
  Perferre hoc cogor flebile diſſidium,
Diſſidium miſeris deplorandum lamentis,
  Dum noſtri ſedes manſerit imperii.
Occidis ah! columen, Tyrrheni ah! gloria regni,
  Occidis! & tecum quot periere bona!
Te vix exſtinctum mæſtæ flevere puellæ,
  Per quem ſervarant jura pudicitiæ:
Te matres flevere comis de more ſolutis,
  Quas tuus aſſidua cenſus alebat ope.

Fleverunt montes, & nubifer Apenninus,
 Fluminaque ingemuere, & nemora, & ſilüæ.
Ipſum etiam vidi turbatis fontibus Arnum
 Ire per humentes Naïadum thalamos.
Omnibus idem animus, dolor unus vulnere tanto,
 Omnibus in triſti pectore amarities.
Quique tuo interitu non fleverit, hic pote ferri,
 (Credo equidem) & duri vincere vim chalybis.
Sed tuus, alme Senex, meritæ poſt munera vitæ
 Spiritus ætherium purus adivit iter.
Tu non crudelem longa ſub arundine nautam
 Vidiſti, & Stygiæ carbaſa nigra ratis;
Latrantemque Canem ripis, urnamque moventem
 Minoa, & vinctas anguibus Eumenidas:
Verum animas inter ſanctas, patreſque beatos
 Miraris ſummi lucida tecta poli.
Aſpicis hic Cosmos, æternaque Ferdinandos
 Lumina, Mediceis addita ſideribus;
Gastonemque pium, & regalem ex ordine gentem;
 Quos inter dulci paſceris ambroſia.
At mî urit mæſtas, atque uret cura medullas,
 Et tua erit miſeræ ſemper acerba cinis.
Et quamvis longos ætas tua viderit annos,
 O immatura vir mihi ademte die!
Sed potius pater: hoc colui te nomine ſemper:
 Parcere mî, Superi, pro pietate mea
Vos decuit: decuit ſacro capiti impendentem
 Parcarum cœcam avertere ſævitiem.
Occidit ah! columen, Tyrrheni ah! gloria regni,
 Occidit! & ſecum quot periere bona!
Dicebat; nec turgidulis parcebat ocellis;
 Dum nox umbroſo ſe extulit e pelago.

VO-

VOTUM PRO

JOSEPHI MARTELLI

Archiep. Florentini ruri commorantis valetudine.

EPIGRAMMA.

SEu nunc, o formoſa Salus, tenero legis ungui
  Pæonia Etruſcis gramina verticibus;
Seu nunc rore levi vitales elicis hauſtus,
  Dictamnum flamma pingue liquefaciens,
Diva, veni: egelidi dum captat munera ruris
  Præſul, ſemotis & vacat in latebris.
Et ſi vis vitam, atque animam debere tibi nos,
  Aut ſi quid vita eſt carius, atque anima,
Relliquias auſer morbi: namque omnibus ille eſt
  Et pater, & vita carior, atque anima.
Crede mihi, propera: noſtrâ tibi ſtabit in urbe
  Gratia, nec de te fama tacebit anus:
Et ruris nos primitias cum thure feremus,
  Annua ſacratis munera liminibus.

IN OBITUM

FRANCISCI COMITIS BARDII A VERNIO.

EPIGRAMMA.

NON te immaturo præreptum funere, nec jam
  Dilapſum in mutos conquerimur cineres,
BARDI: cui Virtus Letheæ neſcia noctis
  Inſtitit ad ſedes Divûm aperire viam,
Felices Divûm ſedes, quas aurea veſtit
  Jucundo ſemper lumine Lætitia.
Non te, ſed noſtra interitu ex hoc vulnera flemus,
  Non tibi, ſed nobis fundimus has lacrymas:
Quorum heu! ex oculis nunc tot bona, tantaque morum
  Obtrita eſt ſpecies, atque animi probitas.
Nec quicquam pote ſuſceptum lenire dolorem,
  Nec tantam ex animo demere triſtitiam,
Ni ſuperent fratres (*a*), tuaque una vivat imago,
  Et morum ſpecies, atque animi probitas.

(a) *Petrus, & Pandulphus Comites Bardii.*

BAR-

BARTHOLOMÆI BOSCOVICKI

E SOCIETATE JESU

CARMINA.

Ad Amicum in Patria commorantem.

ELEGIA.

Esse quid hoc dicam, quinos reparata per orbes
  Pallida quod ſextis Luna laboret equis,
Nec tamen ulla tuis mihi venit epiſtola verbis,
  Officio charæ deſtituorque manus?
Fallor, an abſentis nulla eſt tibi gratia noſtri,
  Et meus e toto pectore fluxit amor?
Quod pactum inter nos, quæ conjuravimus ambo,
  Fallor, an inſanis ſunt data ferre Notis?
Nam memini, ſumma cum diſceſſurus arena
  Laſſarem amplexus in tua colla meos,
Per mare dicebas, per quæ tibi fauſta precamur
  Flamina, per dubias quæ regit Urſa rates;
Nulla per Illyricos volitabunt carbaſa fluctus,
  Quin eat in charas littera miſſa manus.
Hæc promiſſa fides, hæc eſt jurata voluntas,
  Sic fuerat noſter decipiendus amor?
Ut ſcopulos, & iniqua feris freta concita ventis,
  Anne putas ſurdis auribus eſſe Deos?
Sentit, & offenſum furit ad perjuria Numen;
  Forſan & illa tuum deſtinat ira caput.
Quo tamen abripior? furiis agitamur iniquis,
  Et meus in dubio crimine ſævit amor.
Novi ego quid Boreas, quid aquoſus poſſit Orion,
  Quantus in Illyricas incubet Auſter aquas.

Novi, quam ſubito ſe miſceat Adria fluctu,
  Hærentes ſcopulis detineatque rates.
Ah potius fluctus, inimicaque flamina peccent,
  Quàm tua ſit nobis inſimulanda fides.
Candida Penelope tardum culpabat Ulyſſem,
  Dum nocturna ſuum dextra retexit opus.
Et ſæpe appoſitâ vigilans ad penſa lucernâ
  Illius audita eſt de levitate queri.
Cum tamen ille Ithacam veliſque animoque ſecutus
  Duceret invitas per vada ſalſa moras.
Sic, puto, ſic tumidis tua littera fertur in undis,
  Pugnat & inſani vincere jura maris.
Firmus amor tuus eſt: ventos culpemus, & undas.
  Crimen de noſtris queſtibus Auſter habet.
Ergo age dum pelago deferveat ira tumenti,
  Et liceat de te diſcere plura mihi;
Mens mea in amplexus ſaltem decurrat amicos,
  Perque interdictas devolet ipſa vias.
Sic facimus: præſens animo mihi fingeris, & te
  Captantem in patrio frigora rure ſequor.
Dum moles rerum, & curas pertæſus iniquas,
  Æſtatem umbroſis protegis arboribus:
Latratuque canum campos, ſilvaſque fatigas,
  Et quatis innocuâ tela cruenta manu.
Nunc tibi cædendas dat (*a*) Montovierna volucres,
  Nunc tibi dat piſces pulchra (*b*) Gravoſa ſuos,
Aut geminæ te nunc inter confinia lymphæ
  Detinet umbroſo nobilis (*c*) Umbla ſinu;

Illi-

(a) *Montovierna Collis prope Raguſium Coturnicum potiſſimum venatione celeberrimus.*

(b) *Uno ab urbe eadem lapide inſignis amœniſſimarum villarum frequentia Portus.*

(c) *Umbla maris ſinus, in quo ad juſti pene fluminis magnitudinem fons in ipſo littore e profundo telluris hiatu erumpens, obvio mari ſe immiſcet ſervata longo tractu aquarum dulcedine.*

Illyrici decus Umbla maris, quam Tethys, & ipſe
  Adria cœruleis viſere gaudet equis.
O patria, o placidæ juga per florentia ſedes,
  O luſtrata meis littora deliciis!
Ah quoties lepores campis agitavimus illis,
  Saxaque ſunt jaculis facta cruenta meis!
Ah quoties tenui relegens vada nota phaſelo,
  Inſtruxi aſſuetas piſcibus inſidias!
Scindentique undam, & prædas ſub nocte trahenti
  Cantibus Alcyones obſtrepuere ſuis.
At nunc turrigeris Auguſta Peruſia muris
  Me tenet, ad Thuſcæ nobile murmur aquæ;
Spectantem campos, & docti rura Properti.
  O rura Aoniis invidioſa plagis!
Hic mihi commiſſæ ſervantur jura palæſtræ,
  Diſcit & auſpiciis multa juventa meis.
Et modo Dardanioſque ignes, populataque Grajis
  Pergama Romanam pandimus Iliada;
Et modo perſequimur puppim Naſonis, & inter
  Flemus inhumanos, barbara corda, Getas.
Tullius aut noſtro Piſonem fulminat ore,
  Aut pia pro trepidis ventilat arma reis.
Parce tamen, Thymbræe parens, & parcite faſſo,
  Pieridumque chori, Caſtalideſque Deæ,
Durum opus, ad veſtros juvenes perducere fontes;
  Turba ferox illa eſt, impatienſque regi.
Malim ego Carpathiis cantum committere ſaxis,
  Et reſponſuris carmina verticibus.
Malim Pieridas ſilvis tumulare repoſtis,
  Inter & Armenias concinuiſſe tygres.
Thracia florentemque umbram,& genus omne ferarum
  Vidit ad Orpheæ currere fila lyræ.
Vidit & Amphion, plectro dum ludit eburno,
  Thebas auditis ſurgere carminibus.
At mihi qui faciles cantanti præbeat aures,
  Inter tot pueros unus, & alter erit.

Quin

Quin etiam nugis fera turba intenta moleſtis
  Garrit, & indigno perſtrepit alloquio.
Adveniet tamen illa dies quæ libera colla
  Vindicet, inviſo ſurripiatque jugo,
Et dabitur te, dulce caput, poſt longa videre
  Tempora, & aſſuetas tangere poſſe manus.
Tecum ſub patriæ cantabimus arboris umbra,
  Creſcet & arbitrio noſtra Camœna tuo.
Hanc mihi, Phœbe pater, poſt tot vigilata laborum
  Tædia ſollicitis curſibus adde diem.
Interea, exorata dabunt ubi flamina curſus,
  Leniat inviſas littera crebra moras.

PATRIÆ DESIDERIUM.

ELEGIA.

ILLYRICI colles, atque altæ antiqua Raguſæ
  Mœnia, vagitus conſcia terra mei;
Quando erit, ut veſtras redeam vetus exſul ad oras,
  Flenſque feram patriis oſcula liminibus?
Quando erit, Adriaci relegens tumida æquora ponti
  Deprecer ut faciles in mea vela Notos!
Septima jam gravidum ſpicis caput extulit æſtas,
  Et peragit curſus ſeptima bruma ſuos;
Ex quo me terris Mavortia Roma Latinis
  Abſtractum a dulci diſtinet Illyria.
Hei mihi! ſi tectis potui procul eſſe paternis
  Tempore tam longo, ferreus ipſe fui.
Non me longævuſque parens, aut optima mater,
  Nec dulcis potuit me revocare ſoror.
Nec deſiderium teneri mea pectora fratris
  Contigit Armeniis æmula tygridibus.
Ipſa etiam ut terras procul hinc ſcrutetur apricas,
  Trans freta longinquam carpit hirundo viam.
Vere

Vere novo tamen uſque redit, ſua tecta reviſens
  Pendula ab antiqua qualiacumque trabe.
Ipſa etiam offenſi fugiens odia alta parentis
  Medea, & fratris cæde cruenta ſui,
Sæpe ad deſertos retulit ſua lumina Colchos,
  Et lacrymans dixit, Terra paterna vale.
Aſt ego nec patriamve meam, vel fata meorum
  Sacravi externo perfidus hoſpitio.
Nec me diſcerpti fratris ſerere arva cruore
  Spectantes, Hircanæ obſtupuere tygres:
Nec fraudata ſuis per me fuit urna favillis,
  Palleat ut magicis Cynthia carminibus.
Quid tamen hæc bene facta juvant, ſi durius ipſa
  Colchide veſanum cor mihi robur habet?
Si pater, & genitrix, & quidquid dulce putatur,
  Nomina ſunt animo vilia facta meo.
Ah pietas; ah humani vetus incola ſenſus,
  Atque expulſe meo e pectore dulcis amor,
In noſtros remeate ſinus, animamque rigentem
  Mollite, & ſacra conficite uſque face.
Ibimus, Adriaci, ſic ſtat, ſulcabimus undas
  Æquoris; o cupidæ pandite vela rati.
Martia Roma vale, nimium mihi cognita longo
  Tempore, nunc demum juſque, piumque vocant.
Sterne viam Neptune, iras compeſce furentes
  Undarum, patria eſt terra petenda mihi.
Fac Zephyros ſpirare leves, animamque Favonî
  Laſcivire alis per freta purpureis.
Nympharumque chori circumfundantur eunti,
  Tethys, cumque ſua Doride Nereïdes;
Et Glaucus puppim impellat, viridiſque Palæmon
  Proram occurſuris ſubtrahat a ſcopulis.
Quod ſi forte negent faciles maria aſpera curſus,
  Et toto præceps impete regnet hyems,
Æthera carpemus medium: maria ipſa ſtupebunt
  Per non aſſuetas me dare vela vias.

Nec

Nec tu, Dædale, eris cœlo libratus ab alto
  Unica venturi temporis hiſtoria.
Dædalus, ut perhibent, patriæ telluris amore
  In labyrinthæi dum jacet arce doli;
Avulſam volucrum plumam ſociavit in alas,
  Artifices pennis applicuitque manus.
Par cauſa, idem amor eſt nobis: Amor ipſe lacertis
  Aptabit pennas, remigiumque meis:
Quin etiam ipſe meos anteibit in æthere curſus
  Aliger, ignotæ duxque comeſque viæ.
Qualis ſidereæ ſublimi e vertice pinus
  Mater vix natis anteit alitibus.
Tunc mihi nec medio placeat ſigna ardua cœlo
  Diſcere, nec geminos viſere velle polos.
Erigonemque, Urſamque, & qua ſe parte videndum
  Explicet, & ſtellas abluat Eridanus.
Icare, linque ducem, medioque invectus Olympo
  Æmulus ignivomis, i, licet, uſque rotis.
Illyris Adriaco ridet qua littore tellus,
  Indeclinatâ me feret aura viâ.
Teque alta aſpiciens ſuperantem ſidera, dicam
  Dulcior eſt ipſis Patria Sideribus.

C A-

CAROLI
ROTII
FLORENTINI
E SOCIETATE JESU
ORATIONES.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Nusquam melius, quam Romæ litterarum Studioſis consuli

ORATIO

HABITA ROMÆ

Poſtridie Kal. Novembris Anno

CIↃIↃCCXXXIV.

In Instauratione Studiorum.

CREDO ego vos videre, Cardinales Ampliſſimi, voſque ceteri Viri ornatiſſimi, ad rationem Reipublicæ Litterariæ, ſi ea bene ac feliciter, ut volumus, proceſſura eſt, omnino illud neceſſarium eſſe, ut hominibus adoleſcentibus nec magiſtri deſint, nec præmia doctrinæ; quorum alteris optime inſtitui, alteris ad ſpem propoſitis ac oſtentatis excitari etiam poſſint.

Et-

Etenim cum ad faciendum aliquid duo maxime requirantur, facultas efficiendi, & voluntas, facile intelligimus, ubi graviter vel a magiſtris, vel a præmiis doctrinæ laboretur, ibi fere in hominibus præſertim adoleſcentibus nec facultatis ad diſcendum, nec voluntatis multum admodum relinqui. Nam quod ingenio quis valeat, celereſque natura illi dederit ad intelligendum motus, id perinde eſt, ut ſi cui navigandi plane rudi atque imperito ſuppetat quidem, præſtoque ſit navis inſtructa probe atque ornata: deſit tamen rector ac gubernator, qui ejus moderari curſum, qui vela regere, qui demum omni offenſione, periculoque vitato ſalvam ipſam ac incolumem in portu collocare poſſit. Quo minus mirandum eſt, ſi ubi a magiſtro, & quaſi gubernatore, qui eorum ingenio, tanquam probo inſtructoque navigio, moderari poſſit, deſertos ſe videant deſtitutoſque, eum ipſi aggredi curſum nolint, cujus recte tenendi conficiendique deſperationem quamdam animo jam præceperint.

Sed ſuppeditet ſane copia doctiſſimorum hominum ac magiſtrorum, qui ad præclariſſimas artes ac diſciplinas tutam diſcenti-

bus

bus viam expeditamque commonſtrent: tum cetera etiam, quæ multa & varia cogitari poſſunt, adjumenta ad doctrinam adoleſcentibus parata ubique ſint, atque ad manum. Atqui niſi ex litterarum tractatione atque uſu utilitatis aliquid ſperent, niſi fructum laboribus, mercedem vigiliis, præmium operæ atque induſtriæ propoſitum eſſe cernant, male metuo; ne in hac etiam diſcendi opportunitate tanta præclarus ille ad litteras, ſi quem forte unquam ſuſceperunt, impetus, totus celeriter cadat, ac reſtinguatur. Nam deſperatis emolumentis & præmiis, ſuo quaſi jure invadit deſidia, quæ ubi animos otii dulcedine ſemel cepit, facillime cum omnibus, tum maxime adoleſcentibus perſuadet, multo ſatius eſſe ſedere domi apud æquales, ibique tanquam in littore oblectare otium ſuum legendis (quod in vita plerique facimus) lapillis ſcilicet, atque umbilicis, quam hunc quaſi curſum ſtudiorum, laborum utique plenum moleſtiarumque ſuſcipere.

Itaque ſi litterarum, & optimorum ſtudiorum ratio bene feliciterque, ut jam dixi, proceſſura eſt, ſuppeditent omnino neceſſe eſt, cum inſtrumenta, & copiæ, qui-

bus facile doctrina parari poſſit, tum etiam præmia, utilitateſque, ut id quod poſſumus, conari eiam velimus. Quæ cum ita ſe habeant, venio jam ad vos, quorum cauſa hæc omnis ad me paulo altius repetita oratio eſt, quæroque a vobis, Romani adoleſcentes, quo tandem animo in litteras, ac honeſtiſſimas diſciplinas vos eſſe oporteat, qui in hac omnium principe Urbe verſamini, quæ non modo facultatem ſummam præbet earum rerum omnium, quibus rebus expeditiſſimum vobis eſt ad ſapientiam iter, ſed præmia etiam diſcentibus proponit ea, quæ opinione omnium habentur ampliſſima & maxima. O vere fortunatos vos ac beatos, ſi quidem hæc tanta bona, quæ domi apud vos ſunt, atque naſcuntur, noveritis! Profecto ſi non omnem operam & diligentiam, id quod a vobis fieri video, litteris navaretis, nec toto pectore in præclariſſimarum artium ſtudia incumberetis, præſtantemque ingenii vim ita promoveretis induſtria, excoleretis labore, aſſiduitate atque uſu exerceretis, ut optimam frugem, quam nunc pollicetur in ſpe, atque oſtentat, aliquando reapſe præſtet, atque efferat ex ſeſe; nihil, mihi credite,

cau-

cauſari, nihil obtendere, nihil ne calumniari quidem, vobis liceret, quæque ab ceteris adoleſcentibus, qui aliis in regionibus, atque urbibus nati ſunt, aut verſantur, ſi minus vere, at certe cum aliqua probabilitatis ſpecie excuſationes afferri poſſent, eæ ſi forte afferrentur a vobis, non Oratoris quidem voce, ſed ipſo hujuſce tantæ ac tam ſingularis Urbis aſpectu refutarentur. Adeſte igitur animis; & quo contentius ad ſtudia in hoc curriculo laudis veſtra graſſetur induſtria, Orationem meam, quam placet tribuere omnem in partes duas, quarum prima facultatem ſummam diſcendi, quæ Romæ eſt, altera doctrinæ præmia, quæ hic itidem ſunt, explicabit, ſic ſtudioſe diligenterque ut rem tantam decet, accipitote. Quod ſi vos, ut ſpero, feceritis, eveniet idem fortaſſe vobis, quod magnis Regibus, & Viris Principibus uſu nonnumquam venire ſolet, qui cum plurima ipſi quidem maximique pretii in ædibus apud ſe eſſe non neſciant, ſibique id ſatis perſuaſum habeant, tamen ſi quando animi cauſa, ut fit, domeſticas copias, & ſupellectilem paulo curioſius inſpicere per ſe ipſi velint, ac recognoſcere, opinione mul-

to plura, ac pretioſiora eſſe comperiunt.

Comparandæ doctrinæ (quod primum in partitione mea poſui) ſummam cum dico facultatem eſſe in hac Urbe, non ſummam dico, verbi ipſius vim ex ampliſſima illa ſignificatione ad modum quemdam certamque definitionem cum vulgo contrahens: qualia multa ſumma dicimus, non quibus nihil ſit, aut eſſe poſſit majus, ſed quæ ſatis ſint, quibuſque contenti eſſe poſſimus: verum ita dico ſummam, ut plane, & more Romano loquar, negemque uſquam gentium tantam, quanta apud vos eſt, Quirites, ejuſmodi facultatem reperiri.

Atque ut, quam aperte bonaque cum fide actura vobiſcum ſit Oratio mea, ſtatim initio videre ipſi poſſitis, liceat mihi ita agere, itáque quærere a vobis: Quid fuit, ornatiſſimi Juvenes, (non vos appello, Quirites, ſed hos externos, & alienigenas, quorum tanta frequentia, & nobilitate, & ſplendore ſtipati ſumus) verumtamen quid fuit, ornatiſſimi Juvenes, cur potiſſimum in hanc Urbem ſtudiorum cauſa veniretis? Quid Alpes illæ trajectæ? quid maria illa tranſmiſſa? quid illi ſumtus itinerum? quid illa demum tot viarum longiſſimarum vel

ſuſcepta incommoda, vel pericula adita voluerunt? Si manere vos in patria, cultumque ingenii domi capere volueratis, erant profecto in illis veſtris ſedibus, atque urbibus litterati homines ſatis multi, doctoreſque etiam graviſſimi, quorum certe opera atque induſtria vel in hac ipſa Urbe probabilis atque vendibilis eſſe potuit. Ac ſi extra patriam, atque incunabula, longeque a complexu nutricis, deliciiſque illis, quibuſcum rectæ inſtitutioni non ſatis convenit, inſtitui magis placebat; habebat, opinor, & regio illa veſtra florentiſſima Athenas ſuas, ſi non in propinquo poſitas, at certe non ita remotas atque longinquas, ubi ad omnem humanitatem minori utique cum impendio informari licuit. Quid igitur putem? Nam quod Romam veneritis, ut tantæ Urbis ſtrepitu, celebritate, novis rebus oblectaremini, ut ornatiſſima fora, nobiliſſimas vias, Romanorum Procerum ædes magnificentiſſimas, ingentes templorum moles opere infinito conſtructas, ſumtuoſa ſacella, aras opulentiſſimas, ſplendorem in ſacris, ornatum in pompis, amplitudinem Curiæ, majeſtatem Pontificis, aliaque innumerabilia, de quibus tam multa commu-

ni ſermone celebrantur, intueri vobis, contemplarique per otium liceret; hoc quidem, ſi dicatis, videte ne non his graviſſimis viris qui adſunt, probare ſatis conſilium veſtrum poſſitis. Itaque ſi vera cauſa quæratur, quam ob rem vos tanto intervallo locorum, tanta itinerum longinquitate, tanto viarum incommodo, tanto periculo, tanto ſumtu, tanto etiam eorum quos amantiſſimos veſtri domi reliquiſtis, deſiderio, potiſſimum in hanc Urbem ad accipiendam diſciplinam conveneritis, nullam certe aliam hujuſce conſilii veſtri veriorem cauſam fuiſſe reperietis, niſi quia communi illa, quæ jam inde ab tot ſæculis apud omnes valet, opinione ducti, præſtantiorem quamdam diſciplinam Romæ fore putabatis. Atque hoc illud eſt, cur omnes ferme nationes genteſque de erudienda in hac Urbe juventute a priſcis uſque temporibus conſenſerint; cur collegia, ac quædam ſtudioſæ juventutis ſeminaria inſtitui voluerint; cur, cum antea ſemper, tum etiam hoc tempore graviſſimi clariſſimique viri reperiantur, qui certam aliquam bonorum partem teſtamento relinquant, unde ſuorum aliqui in ſpem gentis, patriæque, ſtudiorum cauſa Romæ eſſe poſſint:

ſint: poſtremo cur Romani Pontifices tanta liberalitate, tanto ſtudio in hanc partem, curamque incubuerint, ut, qui videat, quotidie fere ex Oceano, ex Alpibus, ex Germania, ex Peloponneſo, ex Illyrico, ex Palæſtina, ex quavis denique Mundi plaga concurſus ſtudioſorum fieri in hanc Urbem, is hanc Urbem non unius, vel alterius, pluriumque gentium, ſed quoddam quaſi totius Orbis terræ ſeminarium putet. Quod ſi qui ſunt qui propriis delectati, ſuoque quodam judicio ducti, vel in proximis Academiis, vel omnino domi ſuos inſtitui malint; in quo certe reprehendendi non ſunt cum in ceteris etiam urbibus (quod nemo ſanus negaverit) optime doceri formarique poſſint adoleſcentes; tamen iidem ipſi qui hoc faciunt, non ſatis putant iis quos cariſſimos habent, conſultum fore, niſi ſi ad extremum Romam formandos iterum, ac veluti recoquendos mittant. Valet enim neſcio quomodo vel ipſa commoratio in hac Urbe ad opinionem quamdam doctrinæ, graviſque eſt illa Oratio: Videſne tu illum? Romæ fuit: ibi doctrinarum ſpatia confecit: forum preſſit, in illamque judiciorum urbanam mili-

tiam conſcriptus forenſis operæ tirocinium poſuit apud ſummos illos ſcilicet maximarum rerum diſceptatores Duodecimviros.

Ac ne quis forte exiſtimet plus in opinione eſſe, quam in re, videamus nunc, ſi placet, quid tandem hæc Urbs adjumentorum afferat ad optimarum artium cognitionem adipiſcendam. Verum illud in primis affirmare mihi poſſe videor, auditores, ex iis urbibus quas tot tantaſque ille Sol quotidie intuetur, ac luſtrat, prorſus nullam reperiri, in qua excellentiores viri, præſtantioreſque magiſtri doceant. Quamquam ne forte hæc durius accipiantur a quoquam, non eam vim habet Oratio mea, ut omnes, & ſinguli, qui Romæ docent, continuo præſtent ceteris ceterarum urbium doctoribus; non enim ſum neſcius uſuvenire poſſe, immo vero pro conditione atque curſu humanarum rerum accidere etiam debere, ut in tot florentiſſimis nobiliſſimiſque Europæ urbibus aliqui aliquando exſiſtant adeo in ſuo artificio præſtantes atque admirabiles, ut reliquos ætatis ſuæ longo intervallo, albiſque, quod ajunt, quadrigis præcurrant. Sed cum ego hoc vobis conceſſero, illud credo & mihi rurſus

con-

conceſſuri eritis, ſi non hæc, aut illa ſeorſum ab ceteris, ſed omnia magis (quod in hac cauſa faciendum eſt) in univerſum ſpectentur a nobis, nuſquam omnino nec majorem, nec præſtantiorem, quam Romæ, ſummorum virorum, magiſtrorumque copiam, & quaſi ſegetem effloreſcere.

Atque hæc ut quam vere, minimeque oratorie dicantur a nobis, ſtatuere ipſi poſſitis, ſinite me (ſic enim video reliquæ Orationis curſum multo mihi faciliorem fore) ſinite, inquam, primum de Societate JESU, & de hoc præſertim Romano Collegio, quoniam locus ipſe, in quo ſumus, nos admonet, non nulla verba facere. In quo tale temperamentum ſequar, ne Oratio mea, neque nimis verecunda ac ſubruſtica, neque contra elata nimis, atque arrogans videatur; quorum alterum cauſæ veſtræ, Quirites, alterum pudori meo, qui mihi potiſſimus eſſe debet, officeret. Igitur ſic ego diſputo. Societas JESU, etſi ut tempore, ſic dignitate & ſplendore ceteris religioſis Ordinibus facile concedit, tamen, cum ex ſuis legibus inſtitutiſque ætatem fere agat in litteris, eſt apud omnes gentes in aliqua certe opinione doctrinæ. Et

vero, quoniam apud amiciſſimos loquimur, eoque apertius id quod res eſt, loqui poſſumus, ſi in publicas bibliothecas, quæ ſunt, pedem ponimus, in omni ferme doctrinarum genere manus occurret ſcriptorum e Societate, qui in eorum qui Claſſici appellantur, numerum, cenſumque venire jure poſſunt. Quod ſi in hoc numero Claſſicorum ſcriptorum, tum etiam in maxima pæneque infinita multitudine eorum qui ita ſunt infra claſſem, ut tamen probabiles ſint ac laude digni, reperiantur quoque nonnulli, qui tanquam capite cenſi (quod ut in populo fieri neceſſe eſt) atque, ut ſic dicam, proletarii videri poſſint, ignoſcendum ſcilicet fuerit; eſſet enim animi anguſti & puſilli, & ipſa malevolentia ſuffuſi ac vere jejuni, in tanto apparatu ac copia exquiſitiſſimorum ciborum, atque epularum, ſuaviſſimas, atque optime præparatas ad veſcendum carnes faſtidire, ac reſpuere; oſſa vero, quæ ſunt, unice ſequi, atque arrodere.

Atqui cum talis ſit ubique gentium Societas, viroſque habeat doctrinæ copiis ſatis inſtructos, qui & eleganti quodam judicio ſint, & injunctam docendi provinciam

eum

eum laude aliqua ſuſtinere valeant, tamen eum de Romanis Gymnaſiis agitur, delectum quemdam (quod idem ab aliis fieri videt) in deſignandis, ſufficiendiſque præceptoribus, & magiſtris habendum ſibi ſemper exiſtimavit. Itaque ex iis quos ceteroqui ſatis peritos videt, & ad docendum idoneos, non promiſcue omnes, ſed quodam cum delectu eos plerumque adhibet, quorum induſtria navitaſque in docendo aliis in urbibus probata ante fuerit atque ſpectata, ſic, ut non ſtatim primoque quaſi impetu, ſed quibuſdam quaſi gradibus aſcenſus in hanc Urbem paretur.

Ac ſi eorum qui jam fuerunt (nam eos qui nunc ſunt, nec ipſorum modeſtia, nec conſuetudo communis nominare patitur) meminiſſe volumus, certe reperiemus, ad hæc Romana Gymnaſia adhibitos ut plurimum fuiſſe eos artium magiſtros, qui ætate ſua apud nos præter ceteros floruerunt.

Atque ut a ſuperioribus diſciplinis exordiamur; Franciſcus Suarius, & Gabriel Vaſquius, quorum uterque inter Theologos familiam ducit, nempe in his ſcholis, atque exedris auditi ſunt: tum duo illa non ſolum Societatis, ſed Sacri etiam Collegii

mul-

multo clariſſima lumina Franciſcus Toletus, & Joannes de Lugo, quorum ille tanta opinione doctrinæ fuit, ut Gregorius tertius decimus facultatem homini ultro dederit, idque non modo voce, ſed Pontificiis etiam litteris, evulgandi quæcumque vellet, nulla habita ante operum ejus ſcriptorumque cognitione; alter vero viginti ipſos annos ita hanc Romanam palæſtram obtinuit, ut præter infinitam multitudinem auditorum, ingens quoque librariorum manus conveniret quotidie ad ejus Theologicas ſcholas, commentarioſque totos, quos deinceps tranſmitti in tranſalpinas regiones oportebat, excipiendos. Nam quid ego de Roberto Bellarmino dicam? malim de hoc homine tacere omnino, quam pauca dicere, præſertim cum ejus immortalia ſcripta, quorum præſtantiam, gloriamque ut tota poſteritas admirabitur, ita nemo unquam aſſequetur fortaſſe, qualis, quantuſque vir fuerit, ſatis per ſe ipſa declarant. Ac de tribus quoniam ſacra purpura illuſtribus viris mentio a nobis eſt facta, alios clariſſimos viros duos, qui in eodem ordine, & dignitate fuerunt, tacitus nullo modo præterire poſſum, Sfortiam Pallavicinum acer-

rimo

rimo ingenio, judicioque hominem, & eum quem mortuum jam ab hinc decennium nondum tamen artes optimæ eluxerunt, Joannem Baptiſtam Ptolemæum, virum omnibus doctrinarum copiis abundantem. Jam vero quid Cornelium a Lapide, Benedictum Pereiram, Joannem Marianam, alioſque commemorem, quorum præſtabili eruditione, ſolertiaque tantum lumen intelligentiæ ad ſacrarum litterarum cognitionem accenſum eſt? In Mathematicis vero habetis Chriſtophorum Clavium, ætatis ſuæ Euclidem videlicet, tum citeriori memoria Athanaſium Kircherium; quamquam hic quidem non tam Matheſi, quam ſuo illo arcanæ cujuſdam ſapientiæ genere cenſendus eſt. Poſtremo, ut hæc noſtra Humanitatis ſtudia, manſuetioreſque litteræ, ne forte præteriri ſe, contemnique a nobis, putent; fuit Joannes Perpinianus, cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio, fuit Bencius, Orator quidem parum vehemens, ſubtilis tamen atque elegans, ut Mureti diſcipulum poſſis agnoſcere, fuit Famianus Strada, Hiſtoricus in primis nobilis, aliique ſatis multi; nec enim Bibliothecas excutimus, ſed genera ipſa paulo illuſtriora indicamus.

At-

Atque utinam hoc loco, Quirites, liceret mihi per tempus aliorum opes afferre in medium, copiaſque illas maximas aliorum, facultateſque cum hac tenuitate noſtra contendere! profecto ex tali contentione, qualem quantumque exſiſtere Romæ neceſſe ſit ſummorum Artificum Profeſſorumque proventum cognoſceretis. Quid enim? Cum tantum velut aquarum optimarum, ex noſtris hiſce rivulis in hanc Urbem derivari potuerit, quid cenſes ex aliorum uberrimis illis fontibus ne, an fluminibus & derivatum jam antea, & etiamnum derivari? Etenim cum Roma ſit caput gentium, domicilium ac ſedes Catholicæ Religionis, unde reſponſa ab omnibus, atque oracula peti debent, habet hoc omnino proprium ac ſuum, ut occulta quadam vi ad ſe quodam modo attrahat, atque compellat tum omnes in univerſum mortales, tum maxime litteratos. Neque hoc mirum videri debet; nam primum magni refert ad celebritatem vel ipſa fama, & auctoritas loci, de quo tam magna ac præclara ſermone hominum prædicantur: deinde ut quiſque maxime præſtat ingenii doctrinæque laude, ita frequentiſſimo theatro, maximoque

gau-

gaudet. Accedit, quod omnes, natura duce, utilitatem ſequimur, eoque facilius navim appellimus, ubi noſtras quaſi merces vehementius probatum iri, nobiſque melius fore confidimus: unde eſt illa deliberatio multorum: Quoniam hic in patria procedit parum; age, experiamur Romanum cœlum. Quare cum tanta ſit litteratiſſimorum hominum frequentia, tanta celebritas, tanta vis; tantuſque virorum talium ex omnibus terrarum oris partim negotii, partim ſtudii ſui cauſa concurſus fiat: ad hæc Religioſæ Familiæ (quod minime prætermittendum eſt) ex quibus tanquam ex feraciſſimis agris tanta ſemper effloruit, ſeque extulit ſeges, ac copia doctiſſimorum hominum, delectum quemdam, ut ſupra de Societate dixi, habeant eorum quos in hujuſce Urbis celebritate, ac luce verſari velint; jam licet, Quirites, quod non modo pulchrum factu, ſed etiam utiliſſimum eſt in hac re, ex plurimorum lectiſſimorum virorum numero, tanquam ex magno aliquo acervo, tollere eos ad veſtram doctrinam, quos inter probatiſſimos, ſpectatiſſimoſque eminere tamen laude aliqua videatis.

Arti-

Artium magiſtris proxima eſt atque finitima ratio bibliothecarum, inſtructuſque omnis ille librorum ad litteras neceſſarius. Hujus generis quæ apud vos ſit facultas, hoc uno ſimili, ac ne longe abeamus, de veſtro nimirum ſumam, breviter explicabo. Inter cetera, Quirites, quæ nobis advenis & peregrinis admirationem venientibus in hanc Urbem facere ſolent, non eſt, mihi credite, in poſtremis urbana iſthæc aquarum vis, atque ubertas, qua major nulla, nec ad uſum vitæ, nec ad voluptatem cogitari poteſt. Ecquem, ut cetera omittam, non tenet æſtiva illa undarum immiſſio in agonali foro? Quantum voluptatis habet innocens illa inundatio atque eluvies! Quantum oblectationis tranſvectio illa per aquas, & quaſi navigatio in ſicco curruum, & quadrigarum!

Eadem facultas quæ aquarum, videtur eſſe mihi apud vos librorum, & bibliothecarum. Nam præterquam quod eſt illa Vaticana, quæ una omnium gentium litteras, ætatumque omnium monimenta vaſto quodam complexa ſinu reliquarum omnium, quaſi luminibus, altitudine gloriæ officit: ſunt præterea aliæ partim Religioſorum Ordinum,

dinum, partim Romanorum Principum, partim Cardinalium ampliſſimorum, partim etiam eorum qui in foro, judiciiſque verſantur; ſunt, inquam, horum omnium, quos nominavi, adeo multæ ac frequentes, eæque exquiſitiſſimorum codicum non modo formis impreſſorum, ſed etiam manuſcriptorum antiquiſſimorum refertæ adeo, copioſæque, ut litterarum cupidi, quamcumque ſe in partem Urbis convertant, primum, quod etiam pecunioſis accidit non ingratum, ſine impendio, deinde, quod omnibus jucundum eſt, citra incommodum, defatigationemque, ſitim, quam afferunt, explere poſſint.

Quid vero nunc de adjumentis ad ſtudia Antiquitatis dicam? Etenim hæc ſtudia, ut habeant fortaſſe nonnullam reprehenſionem, ſi ita progrediantur longe, ut pæne in morbum evadant, quod fieri aliquando in aliquibus videmus, qui ſeverioribus ſtudiis diſciplinisque, tanquam ſalutaribus cibis rejectis ac faſtiditis, gravidarum more malacia laborantium, ſola expetunt rudera, ſolaque habent illa ſemper in manibus, atque in ore; ita ſummopere laudanda ſunt, maximoque uſui eſſe poſſunt, ſi ad ceteras diſciplinas, tanquam ſaporum vi-

ce, conditionumque (quod fieri debet) adhibeantur. Habet igitur Roma, quo oblectet; habet, quo paſcat, ac ſatiet antiquarum rerum ſtudioſos. Quæ ſingula ſingulis locis vix reperias, hic habes collecta univerſa: quidquid offendis, quidquid occupas pede, demum quidquid vides, contrectas, olfacis, germana antiquitas eſt: adeo nullum ſine nomine ſaxum.

Itaque ceteræ gentes papyris, & chartis anguſte deſcripta, leviterque adumbrata lineis, contuentur iſta: vobis, quod multo eſt & ad voluptatem jucundius, & ad cognitionem certius, eadem ipſa horis omnibus contemplari coram, ac recognoſcere licet.

Sed hæc levia fortaſſe: quid vero illud? quanti eſſe putas doceri in Urbe, cujus acre, terſumque judicium, cujus aures teretes adeo, elegantesque ſint, ut legitimum illum cujuſvis artificii, doctrinæve, quaſi ſonum ſubtili quadam ratione calleant, probeque internoſcant, neque tantulum oberrare poſſis, quod ſit impune a cenſura. Itaque, quod Romæ probari videas (quod ipſum quam lente faſtidioſeque fiat, plus nimio fortaſſe norunt litterati) ſed quod Romæ

mæ probatur, quod excipitur cum gratia, Romanique populi ſtudia, favoremque meretur, ſcias, illud, quidquid eſt, etiam apud ceteras gentes probatum iri, neque poſthac in lubrico fore famam ejus artificis, aut ſcriptoris, cujus induſtria, ac virtus huic theatro propoſita ſemel ſteterit. Nam cum hæc tanta Civitas omnium civitatum conventu conſtituatur, ex omnibuſque ferme nationibus præſtabiles multi ingenio doctrinaque viri hoc tanquam in mare quotidie influant; in judicando autem falſitas ſingulorum, non univerſorum poſſit eſſe, ex hoc neceſſario fit, atque conſequitur, ut firmiſſimum certiſſimumque hujuſce Urbis judicium ſit; cui judicio qui ſtare nolit, is non tam objurgandus quidem videtur eſſe, quam ad agnatos gentileſque veteri illo more, ac conſuetudine deducendus.

Sed multa video aut omnino prætermittenda eſſe, aut ſtrictim admodum, leviterque attingenda, in quibus ſi per anguſtias temporis, quibus me jam premi ſentio, immorari liceat, mirum quantum ſe jactare poſſet Oratio mea. Dicerem enim de æmulatione, quæ vel negligentiſſimum quemque excitare ſolet, neque diſcentium inge-

nia ſitu quodam deſidiæ corrumpi ſinit: quæ in tanto concurſu præclariſſimorum ingeniorum, ac multitudine fervere certe dominarique debet. Dicerem, ingenioſis hominibus, tum eis qui natura paulo timidiores ſunt, nimiumque ſuis viribus diffidentes, tum qui elati nimium ſunt, præfidenteſque, remedium utriſque Romæ paratum eſſe. Nam timidi, & verecundi, conatumque omnem reformidantes, ipſa quaſi turba ad ardua, præclaraque nitentium impelluntur ad gloriam, multoſque circa ſe videre iiſdem quaſi ventis ſe credere auſos facit animos. Nimis vero elati qui ſunt, qui modo in patria apud cives, & populares inſolentius ſe jactarent, ceteros præ ſe deſpicerent, pronuntiarent ſevere de omnibus, primora etiam capita Litterariæ Reipublicæ paſſim, confidenterque arriperent, demum qui ſoli ſibi exempla forent, ſibique ſoli ex omnibus ſapere viderentur, ſimul huc e patrio quaſi lacu emerſerunt, inque hunc tantum, ut ita dicam, Oceanum venerunt, altitudine ipſa atque immenſitate aquarum perculſi, atque perterriti, ſtatim contrahunt vela, inhibentque remos, & cum tot maximis ornatiſſimiſque navibus cymbam comparant

ſuam,

ſuam, jam demiſſius de ſe ſentiunt, altricemque illam negligentiæ, & ſocordiæ, dico fiduciam ſui, quam præſumſerant, brevi, etiamſi id non agant, ponunt ex animis.

Verum hæc, atque alia, ut jam dixi, quamplurima prætermittenda mihi eſſe video: tamen hoc loco unum dumtaxat, quod neſcio, an tale ſit, ut in illo uno momenta omnia ad litteras poſita ſint, ſalva, ut ego interpretor, fide prætermittere non poſſum. Ratum fixumque eſt apud omnes, ut in ceteris rebus, ſic in litteris doctrinisque uſum exercitationemque dominari; quippe omnis inſtitutio atque doctrina ſine uſu atque actione manca quodammodo eſt, atque debilis; quæque in umbra, atque in otio cogitantibus nobis videbantur facilia, poſt in experiundo, agendoque difficilia reperimus. Saneque multos reperias, qui etiamſi docti ſint, tamen ubi quid agere velis, ad quod eorum intelligentia prudentiaque opus ſit, ſtatim apparet, eos nunquam in campo, atque in acie fuiſſe: adeo nihil habent in promtu, & velut in numeratis; ſed omnia magis, quod proximum paupertati eſt, tanquam in tabulis, atque nominibus. Conſilium petas? hærent, timent, nihil agunt, nihil extricant, par-

turiunt ſemper, pariunt nunquam. In ſumma videas eorum doctrinam, quia in obſcuro latuit, neque ſe actione commovit unquam, torpere quodammodo, neque artus, nervoſque explicare poſſe in negotio.

Verum quam longe aliam rationem eſſe cenſes litteratorum hominum in hac Urbe, in qua propter infinitam quamdam maximarum rerum quotidie ingruentium, agendarumque tum varietatem, tum multitudinem omnis ſane liberalis doctrina actuoſa quodammodo eſt, ac tota ſe intendens, atque explicans in negotiis uſu ipſo roboratur magis ac perpolitur? Age, exemplum, quoniam in omnibus non poſſumus, in una ratione Legum, Juriſque Civilis ponamus. Ecquæ civitas, aut regio reperiri unquam poteſt, ad quam plures, gravioreſque cauſæ deferantur? Huc omnes omnium gentium cauſæ, lites, controverſæque res confluunt: huc quæ in ceteris etiam urbibus diu, multumque jactatæ ſunt, diſcuſſæque, provocatione ad Pontificem Maximum dilabuntur. At quam graves! Deus bone! quam variæ! quam minime etiam faciles, explicatæque! Atque hinc colligatis licet, ut ferveat forum, ut caleant judicia, ut occupa-

pata ſit opera cauſidicorum, & patronorum. Simul atque increpuit æs illud judiciale, ac forenſe, videtis, opinor, qui motus ſit, quæ trepidatio, qui diſcurſus per urbem. Videtis ut uno eodemque veſtigio temporis concurrant undique in forum magni nominis cauſidici, maximæque auctoritatis patroni. Videtis, ut natio illa nava atque experiens pragmaticorum huc atque illuc volitet, ac circumcurſet: denique ut ingens hominum multitudo, quorum res, negotiaque aguntur, ultro citroque commeet, anxie ſolliciteque exſpectans actionum exitum, ac judiciorum.

Ex hoc ergo concurſu tanto, frequentiaque cauſarum & judiciorum, quantam legum peritiam parari, quantum colligi oportet uſum, atque intelligentiam rerum forenſium! Hinc illa nempe in Romanis Patronis dilucida & preſſa docendorum Judicum ratio: hinc illa eorumdem tam ſingularis vel in reſpondendo, vel in ſcribendo celeritas. Hodie exeunt ab adverſario forenſes litteræ, graves ſunt, & longæ cujuſdam meditationis opus: verum ad illas, quæ conſuetudo fori eſt, reſponſum oportet omnino in craſtinum. Igitur ad unius no-

ctis lucubrationem callide, prudenterque tota adornatur reſponſio, vixque dum luceſcit, cum jam eſt in manibus multorum, & circumfertur foro, ſic ut cauſa, quæ heri afflicta, & quaſi depoſita videbatur, nunc Patroni induſtriâ tollat iterum oculos ac reviviſcat. Aliarum urbium Juriſperiti ac Patroni, cum hæc apud vos ita eſſe audiunt, alii quidem admirari vehementer, ægreque admodum, ut credant, adduci; alii narrantem ultro irridere, ſponſionemque facere niſi iſta magicis carminibus atque incantationibus fiant.

Atque hæc, quæ dixi de Jure Civili, transferatis nunc licet ad Jus Pontificium, ad cognitionem Conciliorum, & Patrum, ad ſtudia Divinorum Librorum & Theologiæ ſive Moralis, ſive Scholaſticæ: demum ad ceteras etiam paulo graviores diſciplinas, quarum plus minus, uſus quidem certe aliquis major, quam in ceteris urbibus reperietur. Nam ſi nihil aliud, certe ſacri illi cœtus, atque conventus, qui tam varii ac frequentes de rebus graviſſimis ad Fidem, Religionem, Eccleſiæ diſciplinam, moreſque pertinentibus, ſtatis diebus in hebdomada celebrantur, alii aliarum diſcipli-

narum

narum opem, præſidiumque requirunt, nec ferme ullam relinquunt, cui non proprium munus, parteſque deſcribant. Ex quo fit, veriſſimum eſſe, quod ego fando aliquid, atque in ſermonibus ſæpenumero audivi, hanc unam Urbem ſtudioſis afferre plus uno anno, quam ceteras, decem ipſis.

Dixi de adjumentis doctrinæ: reliqua eſt ratio præmiorum; de qua ratione tota atque re, ſi, perinde ac ſentio, libere a me dici oportet, haud dubitanter affirmaverim, ea Romæ præmia propoſita eſſe doctrinis, ut neque plura, neque majora non dicam optari, ſed ne cogitari quidem poſſint. Ac primum ſi in urbes ceteras optimis legibus inſtitutiſque temperatas intueri volumus, haud dubie appareat, ubique locum eſſe virtuti, nec litteratis hominibus, quantum cujuſque civitatis ratio conditioque fert, præmia quidem deeſſe, ſed ita, ut non ad omnia tamen, quæ in civitate maxima ſunt, iis qui litteratiſſimi ſunt, ſtatim ob id ipſum, quia doctrinis præcellunt, aditus pateat. Nam ſunt quædam in omni ferme Republica & ad dignitatem ampliſſima, & ad utilitatem lauta ac copioſa, quæ Patriciorum familiis cum tradita initio fuerint,

atque

atque commiſſa, poſt e familiis illis nullo unquam pacto, ut ita dicam, enubere, tranſireque ad plebem poſſunt. Igitur ſola ex omnibus hæc reperta Civitas eſt, quæ tametſi nobilitatem plurimi, ut debet, facit, amat, amplectitur, eamque adeo, ſi cum ceteris ornamentis conjunctam afferas, multo cariſſimam habet, gratiſſimamque; tamen in publicis muneribus, honoribuſque mandandis ex ſua quemque virtute maxime cenſet, neque jus faſque eſſe ducit præſtantium virorum amplitudini obſtare novitatem. Itaque quod ceteræ civitates ipſarum quidem moribus bene ſapienterque faciunt, ut momenta nobilitatis paulo diligentius perpendant, id quidem hæc Civitas non admodum laborat, nec majorum imagines ab eo qui prodere poſſit ſuam, valde requirit. O præclaram ſane, beatamque apud vos, Quirites, litteratorum hominum conditionem! Huc, tanquam ad Olympia, convenire undique litteratos video, ſumma vi pro ſe quemque currere, atque contendere ad laudem: Romam veluti ſpectatricem ſedere: præmia cujuſque in oculis ſita, ut nihil ſit in hac Urbe tam lautum, nihil tam excelſum, nihil denique tam divi-

divinum, quo vera virtus eniti non poſſit.

L. Tarquinium (*) peregrinum hominem, ac Demarati Corinthii filium, cum Tarquiniis in urbe ut temporibus illis non ignobili conſediſſet, neque ſatis cœlum illud optatis reſpondere ſuis animadverteret, Romam ſublatis rebus una cum uxore & familia, experiundæ fortunæ cauſa, atque adeo in ſpem regni commigraſſe tradunt; ratum videlicet ſtrenuo ac forti viro locum in ea Urbe quæ jam tum quædam quaſi virorum fortium communis patria videretur, non defore. Quæ ſpes adeo hominem non fefellit, ut aliquot annis poſt, eo, quo intenderat, ingenti ſtudio Populi evaſerit.

Quærat fortaſſe quiſpiam; ſi quis hoc tempore Neo-Tarquinius haud diſſimilia ſecum afferret domo conſilia cogitationeſque, utrum ſtulte dementerque facere videretur. Equidem video, paulo melius eſſe hac quæſtione atque cauſa ſuperſedere. Eſt enim in genere eorum quæ ut facillime conſuluntur; ita difficillime reſpondentur. Verum quoniam quæritur, age, quoquo modo poſſumus, reſpondeamus. Primum videri ſtulte omnino fieri ab eo qui talia vota cogitatio-

(*) *Livius Dec.* 1. *l.* 1.

tationeſque in alium quemvis locum, regionemve ſecum ipſe quamvis tacitus deportaret: nam ſerio optare conarique ea quæ nunquam aſſequi, nunquam efficere, nec opere ipſo explicare unquam poſſis, hominis certe videtur eſſe de ſtatu mentis ac ſanitate dejecti. Deinde ſi iſte, quem dicimus, huc potiſſimum ad vos, Quirites, has ſpes, cogitationeſque deferret, hominem non videri ſtatim coarguendum ſtultitiæ; tum quia hæc, ſi appellanda ſtultitia eſt, metuerem, ut ne ad ſummos etiam viros, quorum excellens prudentia ac virtus hiſtoriarum monumentis illuſtrata eſt, pertineret; tum quia id demum ſpectaret ille quod ſi re ipſa aliquando contingeret, non maximam admirationem habere poſſet in ea Urbe quæ ejuſmodi eventus & ſæpe jam vidit, & in poſterum viſura eſt.

Quamquam hæc ita diſputo, magis ut ratio præmiorum, quatenus Romæ pertinere poſſit, oſtendam, quam quod ego putem diſciplinarum ſtudioſos in illa quæ Romæ ſumma ſunt, aut his proxima, intueri ad acuendam induſtriam debere. Notum eſt vulgatumque illud neſcio cujus (nec enim deſignari certo nomine hominem audio)

ſed tamen tritum eſt jactatumque in ſermonibus, fuiſſe quemdam, qui quo vehementius incenderetur ad ſtudia, majoris cujuſdam, ampliſſimique honoris inſigne ſeta equina aptum ita demiſerat e lacunari, ut quoties fatigatos labore oculos tolleret, toties ea ſpecie tam præclara reficeretur animus ad laborem. Addunt etiam, carmen ad quod ſubinde reſpiceret, adſcriptum ab illo fuiſſe inciſumque in hæc verba: *Aut illud aſſequitor, aut extabeſcito*. Verum quæ ſibi duo propoſuerat, eorum unum modo, in quo ſtultitiæ ſuæ debitum fructum tulit, ut præ nimio labore in ſtudiis contentioneque extabeſceret, homo leviſſimus eſt aſſecutus.

Ut igitur ab hac levitate animi, quæ non ſolum ab homine ſtudiis doctrinæ dedito, ſed omnino ſano mentiſque compote abhorret, quam longiſſime refugiamus; nolo noſter ſtudioſus præſertim initio tam excelſa animo meditetur, nolo tam alte vota collineet, cogitationeſque ſuas tam in longinquum extendat. Mortalium voluntas, etſi ingenio libera ſolutaque, quocumque vult, aut fert impetus, eo votis aſpirare poteſt, tamen ſi ratione, non cupiditate rega-

regatur, modum ſibi certe aliquem in appetendo præſcribit, ab imoque ad ſummum, tanquam gradibus, ſic votis paulatim aſcendit. Non ergo ſtatim ad illa ſumma, longiſſimeque poſita, ſed magis ad humiliora quæ ſunt, magiſque proxima, neque ita difficilem habent, incertumque exitum, intendit primum: tum ad altiora nitens gradatim ſe porrigit, latiuſque pertinet. Atque hæc præſcriptio, moderatioque maxime tenenda eſt, ubi ad illa ſumma, atque in faſtigio poſita eſt aditus aſcenſuſque per gradus, quorum unum aliquem ſi teneas, in eoque conſiſtas, gratulari tamen poſſis induſtriæ tuæ. Ac ſane, ut ad cauſam veniamus, apage auguſta illa, ac beatiſſima, de quibus ſupra ſignificavi, quam multa alia tamen, quamque præclara Romæ vel ad opes, vel ad dignitatem ſuppeditant!

Quo loco quæ de doctrinæ uſu præſertim paulo ante a nobis dicta ſunt, ea quoniam huc etiam pertinent, velim cogitatione, atque animo repetatis. Nam ſi Romæ, ut docui, ea ratio eſt, ut quæ hic aguntur negotia nec varietate, nec copia, nec magnitudine, aut gravitate cum aliarum urbium negotiis rebuſque comparari ullo pacto

ſto poſſint, ex hoc quiſque intelligat quam multa multorum hominum doctiſſimorum requiratur opera ad res tantas, tamque varias curandas explicandaſque. Porro ſi ſingulatim perſequi dicendo velim Magiſtratus, Collegia, Curias, Conventus, poſtremo munera omnia, curationeſque publicas, plane opus eſſet aliquo quaſi nomenclatore; ad illumque adeo veſtrum Chracam, Quirites, qui hæc omnia digeſſit bene pertexuitque, tantum ut a nobis laborem ac moleſtiam homo diligens, accuratuſque redimeret, confugiendum foret. Patet ergo latiſſime ratio munerum publicorum, quæ ſingula ſi diligenter excutimus, haud paulo etiam plus in receſſu habere, quam in fronte reperiemus, & tamquam maximos fontes in alios, & item alios, diduci rivos; ſic ut munus ſit unum, curatio multorum, indeque operâ, & quæſtu ſexcenti amplius mortales nec ita leviter aſpergantur. Omnino ut in ingenti aliqua ac vaſta ædificatione, velut nunc illa Lateranenſis eſt, aliæque etiam tam multæ, quas partim inchoatas, partim affectas intueri licet, infinita propemodum fabrûm, artificum, operarumque vis multitudoque neceſſario occu-

panda

panda eſt, idcircoque plurimos etiam ex peregrinis, quorum opera domi aut nulla, aut non ſatis fructuoſa erat, tantorum operum, molitionumque velut ſtrepitu admonitos, ac excitatos Romam paſſim traduci cernimus; neque tamen in tanta convenarum frequentia quiſquam eorum qui laborem otio antiquiorem habere velit, in quo operam cum utilitate ponat, non reperit; ita ſi ab his quæ manu fiunt, ad illa præſtantiora multo, quæ mentis ſolertia doctrinæque opibus efficiuntur, opera cogitationem convertimus, tanta profecto occurrat quaſi moles agendarum rerum, tantuſque undique exſiſtat cauſarum, negotiorumque apparatus, ut prope neceſſarium ſit, eum qui huc veniat, ſerius ocius, aliquando quidem certe, ad curationem aliquam adhiberi.

Nam ut accedentibus ad hanc Urbem occurratur ſtatim cum faſcibus, atque inſignibus honorum, hoc quidem, ut egregiæ cujuſdam felicitatis fuerit, ſi contingat, maximeque etiam, ſi velis, optandum ſit, ita minime eſt, ut ego arbitror, poſtulandum. In quo tamen haud ſcio an quorumdam hominum verecundia requiri jure poſ-

ſit,

ſit, qui quaſi omnia promiſſa, confirmata, certa, & rata afferrent ſecum, veniſſentque cum ſyngrapha, qua oſtenſa, quod ex ea debetur, id ſibi in præſentia numerari oporteret, ita omnia ſibi repræſentari, nihil quod ſit in diem, proponi volunt, ac, niſi quod concupiſcunt, protinus auferant, iratorum more ſupplodunt pedem, ſeque huc haud auſpicato veniſſe clamant. Quæ iſthæc (malum) præpropera feſtinatio? Etiamnum reſperſi ſunt pulvere, etiamnum feſſi de via: quieſcant mihi pauliſper, reſpirentque aliquantulum ab itinere: tum probe intelligant, ſibique penitus perſuadeant, etiamſi negotium non ſit ita expeditum, moræque aliquid habiturum eſſe videatur, nuſquam tamen nec celerius, nec felicius, quam in hac Urbe, ſpem litteratis procedere. Quippe hæc Urbs cum & ſcientia virtuteque ornatis viris faveat, & eorum qui vere tales ſint, opera artificioque, ut ſupra a nobis dictum eſt, ad tantam rerum graviſſimarum multitudinem maxime egeat, nunquam profecto admoneri neceſſe habet, ut cujus viri probet induſtriam, eum præmio etiam debito proſequatur. Circumfert illa ſæpenumero oculos, & quanti ſibi quiſque faciendus

ſit, recte apud ſe, diligenterque perpendens, ſi quem majori honore, atque amplitudine dignum reperit, jacere hominem, in obſcuroque verſari non ſinit.

At multi, inquies, ſunt anni, cum jaceo, nequedum Roma reſpexit, diuque in occulto habens nondum hercle me expectorat. Itaque miſera ſpe, & infinita exſpectatione pendens, laboris exſudo plurimum, fructus minimum capio. Ingratam vero, ſi ita eſt, ne dicam injuſtam, hanc Urbem, quæ tamdiu in virorum fortium meritis, præclareque factis indormiat. Verum quid ſi rem paulo aliter evenire doceo? Equidem invitus facio, Quirites, ut in hanc partem orationis, quæ paulo acerbior in aliquos forſitan videri poteſt, deſcendam. Sed quoniam quorumdam hominum querimoniis, qui parum juſte ſecum agi putant, Orationi meæ quodammodo obſtrepi atque acclamari ſentio, præſtat, ut ego arbitror, ſemel decidere, remque, poſito calculo, ad liquidum, ſi fieri poſſit, perducere.

Ecquid o bone! recordaris qua ſpe, qua cogitatione ad hanc Urbem acceſſeris? age, Pontem Milvium appello, eoque, ſi per te licet, diſceptatore uti volo. Igitur quæro

ro abs te, cum mihi illac attrito patrimonio, atque haud ſcio an etiam palliolo præterires, Romaque jam in propinquo, atque in oculis appareret, quid cupiebas? quid optabas? quo cogitationes animi, quo ſpes pertinebant? dibaphum, credo, cogitabas. Age, ſi quis occurriſſet in via, ac aliquanto minora etiam, quam quæ poſt conſequutus es, pollicitus fuiſſet tibi, utrum tanquam levia aſpernatus eſſes, an magis ſuſtuliſſes manus, ingenteſque gratias egiſſes? Itaque ſi omnes noti, & amici qui tibi cupimus, gratulari jure poſſumus virtuti, fortunæque tuæ, qui ea ceperis quæ neque nutrix, neque parens propitia tibi olim puero unquam fortaſſe optaverit, qui tandem locus apud te querelæ eſſe poteſt? Utinam, ut earum rerum quæ in Urbem importantur, publicanorum ad exigendum portorium diligens inſpectio eſt, ita & deſideriorum quæ quiſque ſecum affert, inſpectio aliqua, atque inquiſitio eſſe poſſet, cogerenturque ingreſſuri profiteri ante, quid poſtularent, ſibique vellent! hoc enim ſi fieret, multorum querelas, prolatis tabulis, iniquitatis coarguere poſſemus. Nimirum omnis ambitio cum querula atque inexplebilis, tum etiam ingrata eſt ac in-

juſta, cui ſordent quamvis magna, cum ſperat majora, neque unde ſurrexerit cogitans, ſemper jacere in imo ſe putat, dum eſt aliquid altius, quo evadat. Nec vero negaverim ut in ceteris urbibus, ſic Romæ quoque accidere aliquid aliquando poſſe, quo ſi quis doleat ac lamentetur, ignotum homini facile oporteat. Sed hoc non tam hujus Urbis vitium eſt, quam omnino rerum humanarum, quæ tum demum optime, ſi minimum offenſionis habent, proceſſerint. Quare non eſt mirandum, in Urbe, ubi tam multa multis tribuenda ſunt, ſi aut propter nonnulla tempora, quæ neceſſario incidunt, neque ab ullo præſtari poſſunt, aut etiam propter aliquem, qui forte objiciatur, errorem, non nemo vir fortis interdum præteriri, aut ejus certe non perinde ut meritus eſt, ratio duci videatur. Sed hoc malum multa ſolatia præcipue in hac Urbe habet. Nam primum, quanti eſt illa prædicatio ingenii, virtutis, induſtriæ, ceterarumque laudum, quæ tum maxime cum quid adverſi incidit viro forti uſurpari ſolet, magiſque tum ex vero, quam ex ambitione celebrari? Quanti, te eſſe unum, cujus vicem univerſi doleant, quem omnes

boni

boni palam aperteque dictitent majori loco dignum eſſe, moleſteque ferant, ei viro, cui jam multo pridem perſoluta eſſe oportebat, etiam num præmia exſpectari? Certe quoniam non apud multitudinem imperitam, ſed apud ſapientiſſimos viros loquimur, non illa ſola ſunt præmia virtutis, quæ vulgo exiſtimantur, ampliſſimus dignitatis gradus, argento cælata clava, equorum puniceæ tæniæ, inſequentium rhedarum pompa, denique imago ipſa ad memoriam poſteritatis prodita. Illa enim judicia hominum non fucata, non ambitioſa, ſed ſolida, atque expreſſa, communiſque illa omnium opinio, atque exiſtimatio tam honorifica, certe plus momenti habet ad gloriam, quam ipſe honos.

Jam quid dicam, hoc ipſum omnino malum, quod dixi, non modo perpetuum, ſe ne diuturnum quidem, quod multo gravius eſt ad conſolandum, Romæ eſſe poſſe? Etenim multæ inclinationes temporum fiunt, multæ rerum varietates accidunt, converſioneſque fortunæ, & tanquam in orbe quodam Reipublicæ, quam ſubinde circumagi neceſſe eſt, aliud alio ferri vides atque converti. Ita fit, ut ſi cujuſquam virtus caſu aliquo, aut errore, in imo ſubſederat, at-

que jacuerat, paulo poſt tanta rerum commutatione facile locus emergendi detur. Itaque veriſſime, graviſſimeque dictum arbitror, Romæ his duabus artibus induſtria, & innocentia nihil non perfici poſſe, modo tertia quædam ars, quam volunt eſſe perſeverantiam, acceſſerit. Quamobrem ſi caſu aliquo fiat, ut in media quaſi navigatione atque curſu, vento repente quiſpiam deſtituatur, brevi ventos ferentes, curſumque quem optaverat, nanciſcatur. Res ſane quam trita, atque apud omnes qui modo Romanas litteras attigerunt pervulgata eſt, fuiſſe quoddam tempus, quo apud veterem Romam ſumma imperia nonnunquam, maximique honores modeſtiſſimis viris, atque fortiſſimis, qui ætatem ruri agitabant, nec opinantibus mandarentur. Itaque cum ſemen manu ſpargeres, neque quidquam de honoribus, aut omnino de Republica cogitares, ecce tibi ex improviſo viator, qui te ab aratro ad Conſulatum arceſſeret. Atque hæc quidem olim, & apud veteres. Quid vero nunc? An putes ita illud illorum temporum fuiſſe proprium, ut in hujuſce Romæ, quæ nunc eſt, moribus inſtitutiſque penitus exoleverit? Næ tu, ſi ita

pu-

putas, vehementer erras. Quid? non multos legimus? non multos audivimus? addo non multos etiam nos ipſi fortaſſe vidimus, quorum nomen cum in inferiori aliquo loco conſediſſet, neque ſpes ulla amplificandæ dignitatis oſtenderetur, iidem tamen delatis honoribus in morem velut cœleſtium ſiderum non ex parte, ſed ſtatim toti exſtiterunt? Quod ſi doctis, ac ſtrenuis viris, qui ſive animi magnitudine, ſive honeſto quodam ſtudio tranquillitatis atque otii, ambitione uti noluerunt, eiſdem tamen honorem quo digni ſunt, quandoque hæc Urbs vel dormientibus conficit; eadem, credo, neglexerit, nec rationem ſatis habuerit eorum quos petere in loco, quos ſupplicare, quos demum ita affectos comparatoſque cernit, ut non modo honore digni eſſe, ſed eodem, ſi poſſint, ornari etiam velint.

Sed ut extremum aliquid habeat Oratio mea, neque ego vos qui me dicentem adhuc tanto cum ſtudio audiviſtis, abireque domum aliquando cupitis, retineam diutius cum moleſtia, concludam jam omnia, voſque, tum Romani, tum exteri adoleſcentes, ad ſtudium veræ laudis cohortabor. Optimarum artium comparandarum, quæ præ-

ter ceteros mortales facultas ac copia vobis unis obtigerit: tum quam multa etiam præmia, quamque ea præclara ac copioſa laborem, induſtriamque veſtram conſequutura ſint, vobis jam explicavi, protuli, oſtendi, prorſus ut nulla excuſatio, nulla calumnia, nulla latebra, in qua cujuſquam deliteſcat ignavia, relicta ſit. Quam ob rem incumbite per Deum immortalem (equidem non ſine magna cura, & ſumma caritate erga vos loquor) incumbite, inquam, pro virili in hæc ſtudia, & dum poteſtis, dum licet, dum ætas favet, dum otium ſuppetit, dum ſummi homines, præſtantiſſimique magiſtri docent, adſunt, opitulantur, dum patent ubique bibliothecæ tanto inſtructu ac copia librorum optimorum, & calent omnia aſſiduo uſu, atque exercitatione doctrinæ, atque ipſa non ſolum Civitas, quæ tanta auctoritate eſt, tamque acri in litteris, elegantique judicio, ſed etiam viæ, tecta, muta ſaxa, atque inanima, omnia demum ad ingenii cultum, eruditionemque conſpirant, explicate, ſi viri eſtis, nervos ingenii, vireſque induſtriæ contendite, neque patimini tam beatam copiam, opportunitatemque diſcendi per otium

ſocor-

ſocordiamque dilabi. Quam multos adoleſcentes exiſtimatis huic tanto veſtro bono invidere! quam multos vota facere, ut ſibi eadem, quæ vobis obtigit, ſorte uti liceat! Quo magis a vobis providendum eſt, ne quod abſentes tanto opere concupiſcunt, vos præſentes aſpernari videamini, atque in media abundantia, atque copia inopes, inaneſque reperiamini.

Atque hæc, adoleſcentes optimi, vobis communiter dicta ſunto: illud proprie his exteris ac peregrinis. Igitur ſic habete, a vobis quidem qui peregre diſciplinæ cauſa Romam veniſtis, majorem quamdam curam requiri in ſtudiis, plenioremque operam jure exigi, ut nihil omitti, nihil negligi, nihil ignoſci in vobis poſſit. Quid? parentes veſtros, atque domeſticos, qui pro vobis tantos ſumtus æquo animo tolerant, qui diſſidium veſtrum, qui abſentiam, qui pignorum ſibi cariſſimorum deſiderium tot annos ferunt, neque alia ulla re, niſi ea quam de vobis conceperunt, ſpe ſe ſuſtentant, ſolantur, paſcunt, mediocri ne aliquo in vobis doctrinæ fructu contentos fore arbitramini? Magna quædam, mihi credite, exſpectant, voſque ea prudentia auctos vo-

lunt,

lunt, ut ſi inter vos, veſtroſque cives eductos domi atque eruditos contentio fiat, plus certe aliquid appareat, atque emineat in vobis, quam in illis, tantumque adeo inter veſtras copias, & aliorum, quantum inter Romam, & urbes ceteras differt, interſit. Non longum faciam. Ulyſſem partrem, (*) qui tandiu domo abſuerat, reducem cum vidiſſet filius, diu hæſit incertus, ſuſpenſuſque animi, mortalemne, an magis unum aliquem ex immortalibus cerneret. Id quod in illo (ut apud ſapientiſſimum Poetam legimus) factum eſt, propterea quod Minerva illa prudentiæ præſes, quæ optime cupiebat illi, nec ab viri latere diſcedebat uſquam, tantum homini honorem, lumenque afflaverat, tantam adjunxerat ſpeciem, & dignitatem, eum colorem genis, pulchritudiniſque florem induxerat; ad hæc eam quoque pectore ejus, humeriſque demiſerat veſtem, ut qui diſceſſerat homo, immortalis jam factus adoleſcenti filio videretur. Haud multo ſecus in unoquoque veſtrûm uſuvenire velim, ut iſthæc Romana Pallas, cujus in ingeniis veſtris excolendis ſedulitatem tantam, atque operam eſſe cerni-

(*) *Odyſ. L. 16. v. 172. & ſeqq.*

nitis, ita totum hominem quaſi manu concinnet, poliat, coloret, ita quibuſdam maxime expreſſis atque inſignibus prudentiæ notis inurat, & quodam quaſi optimarum artium choragio, non fucato illo quidem, & ad falſæ gloriæ ſplendorem, inanemque quamdam modo ſpeciem, ut in ſcenicis artificibus fit, comparato, ſed vero, ſolidoque exornet undique, atque inſtruat, ut cum tanto poſt intervallo domum ad ſuos redeat, parentes, domeſtici, alieni, cives, ceterique quibuſcum agat, tanquam cœleſtem aliquem, divinumque hominem intueantur. Hæc ſi tam excelſa animo deſtinetis, neque vulgarem aliquem eruditionis gradum vobiſmetipſi proponatis, ad ſummum illud tamen gloriæ faſtigium non multi fortaſſe veſtrûm pervenerint, illud quidem certe omnes aſſequemini, ut hoc tempore, quo potiſſimum in litterarum ſtudiis opera a vobis ponenda eſt, & inertiæ locum nullum detis, & ad extremum tantas quaſi copias doctrinæ ex hac Urbe in patriam deportetis, ut pretium viæ, commorationiſque in hac Urbe feciſſe judicemini. Dixi.

DE INSTITUTIONE PUERILI

ORATIO

Habita Romæ

Menſe Novembri Anno

MDCCXXXVIII.

QUod de M. Catone (*) dictum legimus, quamvis ipſe optimo animo ac ſumma fide uteretur, tamen nocere eum interdum ſolitum eſſe Reipublicæ, quod tanquam in Platonis Politia, non tanquam in Romuli fece ſententiam diceret, hoc haud ſcio an convenire recte poſſit in quoſdam homines hujuſce ætatis, egregie illos quidem in Litterariam Rempublicam animatos, deque ejus commodis, ac dignitate vehementer ſollicitos, ſed qui nova quæ-

dam,

(*) *Cic. Epiſt. ad Att. lib. 2. Epiſt. 1.*

Digitized by Google

dam, & inuſitata, atque, ut ita dicam, heroica in ſtudiorum ratione, optimiſque diſciplinis tradendis ſecuti, rem in eum locum, ut mihi videtur, adducunt, ut in quo prodeſſe litteris nimium volunt, in eo maxime noceant. Quo in genere quum multa, ac varia, quæ ab iſtis peccantur; eſſe cernam, ſæpeque alia alias etiam ex hoc loco refutata ac reprehenſa, non ignorem, unam modo illam eorum ſententiam, quæ multa ac diverſa uno tempore pueros doceri vult, mihi hodierno die ad oppugnandum propono; idque eo libentius, quod ea ſententia & a nemine ante hac, quod quidem ſciam, ex hoc loco prolata reprehenſaque eſt, & ſimul talis eſt, in qua una, maxima certiſſimaque non ſolum præclariſſimis ſtudiis, ac diſciplinis, ſed, ſi quidquam intelligere, aut judicare poſſum, Civitatibus etiam ipſis, Rebuſque publicis pernicies quæri videatur. Quare cum tanta rei gravitas ſit, quantam fortaſſe longo jam intervallo ad vos allatam eſſe non recordemini, vos, magis ut conſuetudinem ſequar, quam quod ita fieri neceſſe putem, ut me dicentem attenti audiatis, rogo.

Atque ut in hac Diſceptatione (ſic enim ap-

appellare potius placet, quam Orationem; neque enim vobis, ut auſcultatoribus, ſed ut arbitris, ac diſceptatoribus uti volo ſic, ut oratio mea, judicium veſtrum futurum ſit): verum ut in hac ſive Diſceptatione ſive Oratione, id quo de agitur, omni errore ſublato, videre poſſitis, placet, quoniam de inſtitutione puerili hæc omnis a nobis controverſia ſuſcepta eſt, duo conſtituere: primum, cum pueros dicimus, quos demum hoc nomine ſignificemus; nam hoc præclari iſti heroes (quod eorum pace dixerim) aut plane non intelligere, aut quidem certe definire ſatis non videntur: deinde, cum pueros multa & diverſa doceri ipſi nolumus, quemadmodum illud ipſum *multa & diverſa* interpretemur. Igitur cum pueros dicimus, nempe eos dicimus qui hodie naſcuntur, qui hodie ſunt, quos videmus, quibuſcum una in domibus verſamur, ac vivimus: denique qui hoc communi luto ficti formatique ſunt; non vero quoſdam alios alterius cujuſdam generis, ſanguinis, conditionis, indolis, qui non hic apud nos naſcantur, ſed longiſſimo quodam intervallo tanquam de cœlo ad nos facti jam elaboratique mittantur, quos optare

qui-

quidem potius, aut animi cogitatione informare, quam reapſe in hac communi naturæ conditione reperire poſſumus. Quare ſi quis forte quingenteſimo quoque anno tanquam phœnix naſcatur, qui divina quadam ac ſingulari mentis ſolertia præditus, omnia ſtatim quæcumque tradas arripiat, omnia aſſequatur, teneat, comprehendat: qualis fuit Picus ille Mirandulanus, cujus nomen non hominis, ſed ingènii videtur eſſe, qui etiam ingeniorum Phœnix merito appellatus eſt; aut qualis etiam fuit clariſſimum illud Italicæ Poeſeos lumen Torquatus Taſſus, qui cum Neapoli a Bernardo patre ad ſcholas Societatis JESU quadrimus puer deductus eſſet, ibi pauculis annis litteras Græcas quidem magna ex parte, Latinas vero ita perfecte cumulateque percepit, ut anno ætatis octavo vix dum ineunte Poemata atque Orationes publice, atque in conventu, iis qui aderant, rei novitate obſtupeſcentibus recitaverit. Iſtis ergo, iſtorumque ſimilibus ſi qui exſiſtent, quamlibet multiplex, & diverſa doctrinæ vis atque copia per me licet, tradatur; dummodo illud teneamus, nequaquam ceteros pueros, quos jam deſcripſi, quibus ſcili-

cet

cet totius Reipublicæ ſeminarium contineatur, tam multa iſthæc, tamque diverſa docendos eſſe.

Sed quemadmodum hoc ipſum *multa & diverſa*, quod eſt alterum explicandum, accipimus? Equidem non ſum ille, ut ita dicam, tam ſiccus atque jejunus, Quirites, qui adoleſcentulos, præſertim ſi perbono ingenio ſint, quales plurimos utique in hac Urbe, ac Romano cœlo provenire cernimus, nudis quibuſdam atque aridis Grammaticæ exercitationibus, multoque minus illis, ut vocant, difficultatibus unice occupari ſeu potius implicari velim, quibus ut ſe maxime explicent, feliciterque expediant, id demum aſſequentur, ut Grammatice, non Latine loquantur. Scio, naturam etiam in pueris copia quadam atque abundantia lætificari ac nutriri; & velut ſtomachum mutatione ciborum, ſic etiam diſcentium mentes doctrinæ quadam viciſſitudine ac varietate refici; contraque fieri, ut ejuſdem rei aſſiduam illam tractationem faſtidium fere ac ſatietas conſequatur. Itaque volo, iſte noſter, dum Latinam linguam condiſcit, etiam patrium ſermonem; in quo ſane graviſſimi doctiſſimique viri quorundam magiſtro-

giſtrorum negligentiam merito accuſant, (*) velut præteriens aſpiciat, ut ſi minus ſubtiliter atque eleganter, quod in præſentia non eſt exigendum, at certe ne barbare, ne inquinate loquatur, ne, dum veteres illos interpretatur, ex optimis Latinis peſſima faciat Italica. Volo, quæ pertinent ad recte ſcribendi modum; quæ orthographia dicitur; eorum quum quid peccat, admoneatur. Ita vitioſam illam, ac fœdam in hoc genere conſuetudinem ſi corrigemus in pueris, non (quod interdum pudeat) etiam in grandioribus natu videbimus. Volo, ubi jam tolerabilem quemdam in Latino ſermone progreſſum fecerit, Græcis quoque litteris, ſine quibus omnis eruditio manca eſt atque debilis, quaſque niſi mature arripiat, numquam fere perdiſcat, initietur. Jam cum Grammaticis commentationibus perfunctus fuerit, inque Rhetoris ſcholam ac diſciplinam venerit, volo, præter quæ poeticæ, atque oratoriæ facultatis propria ſunt, illumque in primis, qui dies, noctesque urgendus eſt, dicendi artificem atque effe-

(*) *Vide ſis Orationem de doctrina puerili Etruſco ſermone conſcriptam ab eruditiſſimo viro Angelo Maria Riccio.*

ſtorem ſtylum, Romanas etiam antiquitates deguſtet, utique hactenus, ut in veterum ſcriptis tanquam in peregrino orbe trepidare ubique atque hærere ne cogatur. Omnino, ut paucis complectar, placet unum dumtaxat, velut illud perfectæ eloquentiæ, in quo præcipue elaboret, quaſique habitet, ſtudium eſſe: ſed hujus ipſius ſtudii ſi qua adjumenta ſunt, quæ certe ſunt, ſine quibus hoc ipſum, quod præcipuum eſſe illi volumus, aut vix conſtare, aut certe abſolutum perfectumque eſſe non poſſit, hæc (quorum ſcilicet notitia aliqua vel in ipſis prælectionibus, ubi locus admoneat, aſpergi leviter poterit,) a puerili doctrina non modo non removeo, ſed ultro etiam aſſumo atque adſciſco.

Quæ cum ita ſint, quid igitur in illa iſtorum puerili diſciplina reprehendimus? nempe illud quod ex iis quæ hactenus diximus, vos ipſi, ſi non plane intelligere, ſuſpicari quidem certe potuiſtis, quod tam multa iſti pueris, quod tam varia, quod tam etiam inter ſe diſſidentia tradunt, quod nullo delectu, nullo judicio, nullo ætatum, nullo ingeniorum diſcrimine, promiſcue omnia inculcant, atque ingerunt: neque,

quod

quod neceſſario ſequitur, maximeque in hac inſtitutione diſplicet, certam rem ullam, cui præter ceteras puer ſtudeat, penituſque cognoſcendæ ſe dedat, relinquunt. Proditum eſt a Plinio (*), Tacapenſem agrum, quæ civitas eſt Africæ in mediis arenis ſita, propter miram quamdam ſoli lætitiam, atque ubertatem, quam cujuſdam fontis, qui certis horarum ſpatiis inter incolas diſpenſatur, inductio atque irrigatio efficit, tam multiplicibus ſtirpium, arborum, frugum, omnium fere quæ terra gignit, generibus frequentari veſtirique ſolitum eſſe, ut, niſi me fallit, vos, tametſi eruditiſſimi eſtis, nihil ſimile unquam legiſſe, aut audiviſſe memineritis. Ibi enim in toto illo tractu palmæ prægrandi ſubdi oleam, huic ficum, fico Punicam, illi vitem, ſub vite ſeri frumentum, mox legumen, deinde olus, omnia eodem anno, omniaque aliena umbra ali. Videor ne ſatis, quod iſti faciunt, hoc exemplo expreſſiſſe? Etenim quaſi ejus, quem dixi, Tacapenſis agri fertilitatem, & non potius ſaxetum aliquod aut arenam, quod non raro accidit, nacti eſſent, ſic puerilem illum agellum omnibus omnium diſci-

(*) *Nat. Hiſt. lib.* 18. *c.* 22.

pliharum generibus conſerunt. Tantulum puerum volunt Latine, Italice, Græce diſcere, volunt eſſe oratorem, volunt poetam, hiſtoricum, præterea antiquitatis ſtudioſum, geographum, geometram volunt. Magnas, immo ingentes profecto arbores! Jam quid ſi illa tanquam legumina, atque olera accedant, ut Gallorum litteris, ut fidibus, muſicis, ſaltatione, ceteris, quæ ſunt olei, & palæſtræ, erudiatur; quam nihil in illo, ut ita dicam, puerili ſolo vacabit? Profecto ſiquis puerum aliquem, ut hodie jam fit in multis, maxime eis qui ſunt e nobilitate, tot ſimul ſtudiis occupari quotidie cernat, haud temere facere videatur ſi quærat, an itidem, uti ceteri mortales, aſſiduitatem ille operæ, laboremque ſentiat, an cibum, an ſomnum capiat, ceſſet ne aliquando, & cum æqualibus tantiſper loquatur, aut ludat: poſtremo, quod caput eſt in educatione puerili, ſuumne etiam tempus ſtudiis pietatis ac religionis reddat. Verum hæc, quæ fortaſſe non temere, ut dixi, a quoquam quæri poſſunt, ego non quæro: illud potius, quod ad inſtitutam diſputationem maxime pertinet, vehementer requiro atque percontor: Ecquodnam tantum ingenii flumen (nam fontem quid

di-

dicam?) reperiri poſſit, quod tot, tamque multiplicis, diverſique generis artibus velut irrigandis, atque alendis ſufficiat? Verumtamen; quo magis pedem, ut ajunt, conferam, & propius accedam, ſic confirmo, Quirites, hac præclara atque pulchra inſtituendorum puerorum ratione peſſime cum mediocribus ingeniis, tum excellentibus conſuli; nam de illis qui plane hebetes, ſtolidique ſunt, quibus ſive rectam, ſive pravam inſtitutionem adhibeas, neque prodeſſe, neque nocere admodum poſſis, nihil attinet dicere.

Ac, ut de mediocribus primum loquar, ſi mediocrium ingeniorum etiam in adulta jam & confirmata ætate ea ratio eſt, ut eorum induſtria ſi in plura ſtudiorum genera diſtrahatur, in nullo operæ pretium faciat, & tanquam modica ac tenuis aquula, dum in alios atque alios diducitur rivulos, poſtremo tota evaneſcat, atque exſtinguatur; quid in pueris fore cenſemus, quorum ut corporis habitus tenerior adhuc eſt, atque infirmior, ita & ingenioli facultas illa mediocris nondum temporis ſpatio, atque ipſo uſu confirmari ac roborari potuit? Certe niſi omnes ſimul induſtriæ nervulos adhi-

beant, niſi omnem operam, curam, diligentiam, totos denique ſe ad unum aliquod certum ſtudium conferant, facile intelligimus, nihil prorſus ab eis agi atque effici poſſe. Fuit tempus quoddam, Quirites, quum ego, homo videlicet minime malus, neque dum hujuſce inſtitutionis ſatis gnarus, ſi forte aliquem eſſe puerum audirem, aut etiam cernerem, qui tam multa atque præclara in illa ætatula didiciſſe diceretur, vehementer mecum ipſe admirabar, atque, ut ingenue fatear, verecundabar, quod ego id ætatis cum eſſem, quædam etiam quæ ille puſio decurſa jam, ut dicebant, ac decantata haberet, vix, aut ne vix quidem, attigiſſem; in quo partim tarditatem meam accuſare, partim etiam domeſticorum ac majorum natu, qui me iis præceptoribus qui aliam quamdam viam in me inſtituendo ſecuti eſſent, tradidiſſent, diligentiam requirere ſolebam: ſed poſtea quam ipſa die, atque experimento, quorſum nova iſthæc diſciplina evaderet, comperi, cœpi mehercule haud paulo majorem habere gratiam iis ipſis qui me tam doctum atque eruditum a puero eſſe noluiſſent. Quippe ubi pueri doctrina aut a me, aut quo alio,

cujus eæ partes magis propriæ eſſent, ad examen disquiſitionemque vocabatur, nihil admodum ſcire reperiebatur præter quædam nuda altiſſimarum rerum vocabula, nec ea quidem ſatis commode intellecta; omninoque, ubi illud carmen a magiſtro compoſitum continenti ſpiritu inſtar unius pſittaci pronunciaverat, niſi illud ipſum more muſicorum, qui in theatris aliquando revocari ſolent, (tametſi hoc apud vos, Quirites, prætoris edicto vetari audio) ſed niſi illud ipſum carmen de integro recitaret, quid diceret, non habebat; quodque multo miſerius eſt; pudore impedior dicere, vellemque, ut ille neſcio quis apud poetam (*) facit, quod nimium ſæpe in tam multis vidi, manuque tenui, terræ tacitus immurmurare poſſe; ſed quoniam aperte dicere neceſſe eſt, dicam ut potero, verum ſubmiſſa voce, atque illi extremi qui in concione ſtant, ſi parum exaudient, ignoſcent ſcilicet. Quid igitur quæritis? Tam doctus ille, ac litteratus puer, quem in hiſtoricis, in geometricis, in omnibus intelligentem, atque eruditum venditabant, hæſitabat mihi, neque quidquam prorſus in grammaticis

(*) *Ovid. Metamor. lib.* II. *v.* 183. *& ſeqq.*

intelligebat. Huccine ergo tantum illum pulcherrimarum rerum ornatum, tantum diſciplinarum inſtructum, tantum apparatum recidere, ut qui profligato jam, propeque decurſo doctrinarum omnium ſpatio pulcher ſibi jam ac beatus eſſe videbatur, is ſummo cum probro ad carceres revocari debeat? O miſerum & infelicem puerum! Ex illo ne geometrico pulvere tam erudito atque illuſtri ad illum grammaticum revolvi, ut qui jam neſcio quid de quadrando circulo, de mundi declinationibus, de ſiderum ac temporum ratione balbutire, ut a magiſtro didicerat, conſueverat, nunc non dicam de quadranda oratione (nam hoc eſt aliquid, atque ad rhetoricum artificium pertinens), ſed de nominum declinationibus, de verborum, ſyllabarumque temporibus ſibi agendum, ac cogitandum videat! Ut vero ille humilis, ut demiſſus jacet! fracto animo, dejecto vultu terram tacitus intuetur; & dum ſe detractum de cœlo, ſpoliatum, deformatum, detruſum ad illa infima videt, quid agat, aut quo ſe conferat, neſcit. Eant nunc præclari iſti doctores, qui eum modo in tot tantiſque artibus ſolertem dabant, & ego ſolertes etiam ipſos judica-

bo, ſi, ut in malis, efficere ſaltem conſolando poterunt, ne animum pariter ac ſapientiam deſpondeat; aut ſi hoc, quoniam difficile admodum factu eſt, recipere nobis, ac præſtare non audent, agnoſcant aliquando ſaltem, ac fateantur, ſe tota, ut dicitur, via a communi utilitate aberrare. Hic hic animos erigite, Quirites, & mecum pauliſper non dico damnum privatim ſingulorum, non bonarum artium incommodum, non detrimentum, non malum Rei Litterariæ univerſæ, quæ ſæpe numero a mediocribus etiam ingeniis inſigniter, non mediocriter juvari atque illuſtrari ſolet, ſed omnino Reipublicæ perniciem ac peſtem conſiderate. Quid? levemne Reipublicæ plagam, ſi paulatim iſta ratione mediocrium præſidio careat, imponi putamus? Dicam audacter, atque, ut arbitror, vere, Quirites; ſi Reſpublica in eam neceſſitatem caſu aliquo adduceretur, ut, aut mediocriter eruditis, aut ſummis illis atque excellentibus doctrina viris carere deberet: utris autem careret, eligendi ei optio deferretur, mallet profecto ſummis illis atque præſtantibus, quam his mediocribus, mediæque quaſi notæ litteratis carere. Etenim illi plus or-

nant,

nant, iſti plus proſunt: in illis major quædam admiratio eſt, in iſtis major uſus atque frequentior: illorum illa ſingularis atque præcellens opera, aut fere non requiritur, aut, ſi quando requiratur, tunc, aut aliunde evocari poſſunt, aut eorum opera multorum mediocrium conſpiratione, labore, diligentia compenſari. Contra mediocribus, & quotidie ad multa, immo ad omnia utimur; neque eorum ſi partes deſint, quo pacto eas compenſare poſſis, reperias. Ut enim fabris multis tignariis, ut tuto in ædibus habitare poſſimus, indigemus: architectis magni nominis, ſi nulli ſunt, carere poſſumus; ita ſi doctiſſimos nullos habeat, tamen Reſpublica ſtare poſſit; eadem, ſi modice doctis privetur, corruat neceſſe eſt. Nam quid dicam, litteratiſſimos illos ſæpe ad multa Reipublicæ munera neſcio quomodo non ita aptos reperiri; ſive quod ad illa quæ plurimum laboris, minimum doctrinæ requirunt, ægre deſcendant, ſive quod ſuis ipſorum ſtudiis plus nimio oblectati, ab omni actione rerum atque adminiſtratione refugiant, ſive etiam quia nonnullarum artium ea vis eſt atque natura, ut qui illarum cognitione præſtant, non multum fortaſſe, ut Rempu-

blicam

blicam attingant, expetendum eſſe videatur. Sane quod de Syracuſano illo Archimede accepimus, adeo illum intentum ac defixum fuiſſe in ſtudio, ut in obſidione patriæ, non clamore ingruentium hoſtium, non ſtrepitu, ac ruina tectorum, non civium lamentis, non direptione urbis, vix demum; quem corpore excepit, hoſtili mucrone excitatus, urbem captam eſſe ſenſerit; hoc ſi in Rectore aliquo Civitatis, non in privato homine & mathematico contigiſſet, admirationem nihilo quidem minorem, ſed alterius, opinor, generis habuiſſet. Atque illum Sophoclem, qui accuſatus a filiis, quod quaſi ſenectute deſipiens rem familiarem negligeret, recitato judicibus Œdipo Coloneo totum illud crimen egregie diſcuſſit, ſi eum filii alio quodam modo accuſaviſſent, ex eoque ipſo, quod tam admirabilis in tragœdiis eſſet, haudquaquam ſatis rei domeſticæ adminiſtrandæ idoneum eſſe contendiſſent; non illi quidem meliores filii, ſed accuſatores paulo forſitan callidiores exſtitiſſent; nam ille (nolim hoc optimi poetæ durius accipiant) ille inquam concitatæ mentis impetus, qui in excellenti poeta dominari debet, neſcio an quemadmodum

ad

ad optimos verſus, ita etiam ad optime res procurandas valeat: quæ quidem procuratio non lentum illum, & frigidum (nam illo quid facias?) ſed potius induſtrium, atque actuoſum deſiderat, ſtatarium tamen & quietum hominem, qui lente aliquid ferre, &, quod ſæpiſſime opus eſt in vita, plurimas ſtultitias hominum devorare poſſit.

Verum ut illuc unde paullum digreſſi ſumus, redeamus, quum doctrinæ mediocritas & neceſſaria prorſus ſit, & plus etiam, quam excellentia illa paucorum utilitatis Reipublicæ afferat; hæc autem ab eis qui ingenio tolerabili dumtaxat præditi in prima ætate heroico illo modo inſtituuntur, fruſtra, ut jam docui, ſperari poſſit; dubitabimuſne, quin iſta nova, &, ſi Deo placet, adeo vendibilis docendi ratio, ſi paulo magis propter ſtultitiam temporum percrebeſcat, toti Reipublicæ malum, ac perniciem ſit allatura?

At enim iſta ſaltem excellentibus ingeniis accommodata eſt atque utilis: quare Reſpublica ſe iſtorum ſpe conſolari utcumque poterit. Egregiam ſane conſolationem! Sed ipſa, mihi credite, non utitur, totamque potius a ſe deteſtatur ac rejicit. Semido-

ctorum

ctorum nationem, quæ tam longe, lateque pertinet, etſi vobis ſatis notam eſſe arbitror, Quirites, tamen hoc loco paucis illam deſcribam; idque nec alienum a cauſa erit, neque, ut ſpero, vobis moleſtum accidet. Quid igitur eſt iſta natio? Homines ſunt nec ſapientes, nec idiotæ: non ſapientes, quia hoc nomen in iis demum recte ponimus qui ſolidam, qui maxime expreſſam, qui veram doctrinam poſſident, qui multam in litteris operam poſuerunt, idque egerunt, ut optimas artes penitus, atque ad plenum cognoſcerent: quorum nihil ſimile in iſtis: non igitur ſapientes. Nec rurſus idiotæ, atque imperiti ſunt, quia quo carent idiotæ, colorem certe quemdam doctrinæ, & quædam eruditionis lineamenta in iſtis cernas. Nihil quidem penitus animo combiberunt, ſed multa tamen primoribus, ut ajunt, labiis delibaverunt, multaque multarum rerum tamquam per tranſennam ſtrictim aſpexerunt. Omnino cum neutri ſint, nec plane litterati, nec prorſus ſine litteris, ſunt quoddam medium atque interjectum genus inter doctos & imperitos, ita tamen, ut nec doctorum hominum bene conſtitutas illas, ac

quaſi

quaſi fundatas copias, nec rurſus illam, quod unum bonum idiotarum eſt, verecundiam habeant, atque modeſtiam. Itaque videas ex una parte ſatis inopes, inaneſque prudentiæ: ex altera vero, quod etiam in maximis litteris intolerabile foret, nihil non ſibi arrogantes. Celſi atque ſubnixi ambulant: de omnibus temere ac ſtatim ſententiam ferunt: aliena quæ ignorant, verbis elevant, atque abjiciunt, utque ſapere videantur, Cœlum vituperant. Sua vero ipſorum, treſque illas, quas norunt, litterulas amant, mirantur, prædicant, invitis etiam ultro offerunt atque obtrudunt, ſimiles eorum de plebe inſtitorum, qui aptam e collo, ac ſuſpenſam fucoſarum illarum mercium tabernam circumferentes per compita, ac vias incedunt vagi atque errant, Elegantias Venetas odioſe clamitantes. At quorſum tam multa de iſtis? nimirum ut intelligatis qua ſapientia viros aliquando habitura ſit Civitas, ſi paulo plus iſti novæ inſtitutioni auctoritatis acceſſerit. Certe ſi egregii iſti diſciplinæ veteris correctores, id operam darent atque agerent, ut ſemidoctorum nationi ſupplementum mature proſpicerent, nullam aliam viam quæ

eo

eo certius ferret atque deduceret, inire poſſent. Quid enim ſperes ſapientiam illam virilem, robuſtam, ac ſucci plenam ab iis, qui in litteris numquam conſiſtunt, atque habitant, qui multa carptim deguſtant, in nulla re, quam in ſanguinem, ſuccumque convertant, immorantur, qui ut tot ſtudiorum genera complectantur, omnia ſummatim diſcere, omnia curſim attingere coguntur; itáque jam inde a teneris aſſuefiunt, ut optimarum artium quaſi lacinia contenti, de corpore ipſo ac membris, ut ita dicam, nihil admodum curent?

Habetis, Quirites, quo hæc nova demum atque egregia inſtituta pertineant: mediocribus hominum ingeniis ſi adhibentur, nihil intelligunt, nihil diſcunt: ſi excellentibus, arrogantiæ multum, ſapientiæ parum acquirunt; ita fit, ut alteri Reipublicæ nihil proſint, alteri etiam incommodent. Quanto eſt igitur melius a majorum conſuetudine, atque inſtitutis non recedere, viamque illam quam tot clariſſimi viri veſtigiis impreſſam ſuis ac tritam nobis reliquerunt, inſiſtere; neque committere, ut ſpecioſis magis quam utilibus delectati, puerorum ingeniis plus oneris, quam eorum

vires

vires ferre ac ſuſtinere poſſunt, imponamus: ſed potius naturam ipſam imitari, quæ non omnia ſtatim profundere in rebus, ſed ſenſim, & quoſdam quaſi per gradus ad illud ultimum abſolutumque pervenire ſolet.

Nam quod gravis auctor Quintilianus; (neque enim hoc quod fortaſſe non nemo veſtrûm jam dudum, quamvis tacitus, a me requirit, diſſimulari volo,) quod igitur tantus ac talis vir multa adoleſcentulis tradi vult, primum quomodo tanto magiſtro reſpondeant, ac ſatisfaciant, viderint ii qui anguſtis illis unius modo Grammaticæ regionibus, id quod ipſi non facimus, puerilem omnem doctrinam definiunt. Nos modum dumtaxat adhibendum putamus: quæ incommoda ſunt, quæ aliena, quæ ſi in aliud tempus differantur, magis puerorum ingeniis utilia atque accommodata ſint, ea tantum in præſentia repudiamus. Deinde quem ille Oratorem ſummum ſcilicet atque perfectum inſtituit, eum non mediocrem certe quemdam, ſed potius ingenioſiſſimum eſſe ponit. cum ingenioſiſſimis vero ſi quamlibet large ac liberaliter agatur, ita uti etiam initio, ſi memoria tenetis, ſigni-

ſignificavi, nihil reprehendo, immo etiam laudo. Deinde more eorum qui artes ſcribunt, rem non uſquequaque facultate communi hominum, ſed potius dignitate ipſius artis, ac perfectione, ut ipſe quoque non diffitetur, metitur. Ex quo etiam fieri interdum videmus, ut nonnulla, quæ a ſummis magiſtris atque artificibus pulcherrime præcipiuntur, pulcherrime etiam propter communem ſcilicet infirmitatem in ipſo artificio atque opere ubi paulum tentari cœpta ſunt, uſu communi atque utilitate refutentur. Jam quod geometriæ ſtudium, contra quam idem auctor ſentit, a pueritia removere viſi ſumus, fecimus id quidem, non quo illius diſciplinæ maturitas etiam in decenni puero reperiri utcumque non poſſit; ſed quia ut nunc eſt & temporum & ſtudiorum ratio, præſtat, niſi fallor, eam omnem facultatem paullo grandiori ætati reſervare. Nam ſi geometricis in præſenti nullam mihi operam impendant pueri, poſſint tamen huic ſtudio poſt æque bene, atque haud ſcio an etiam melius ſatisfacere. Contra ſi nunc tali ſtudio occupentur, aut tales illos eſſe facimus, quales plerique ſunt, quibus non omnino ingenium,

ſed illud quaſi geometricum deeſt: aut, quod paucis contingit, ad hanc facultatem egregie natura comparatos eſſe atque factos. Si ex primo illo genere ſint, operam ſcilicet fruſtra ſumant, & citius caput obtundant, quam ingenium exacuant: ſin, quod maxime optandum eſt, ex illo altero fuerint, utiliter illi quidem, atque adeo magna cum voluptate in geometricis verſabuntur, ſed nimirum a ceteris ſtudiis, quorum tempeſtivitas præterit, omnino abducentur; neque, ut cetera omittam, ſtylo, ſine quo, quæ præclare cogitabunt, numquam eloqui poterunt, ſatisfacient. Videor mihi, quæ contra a quoquam objici poſſent, ea aut occupaſſe, aut refutaſſe dicendo. Nam illud tritum & decantatum, noſtra iſta ratione longius quam par eſt, adoleſcentulos in ſcholarum umbra detineri, nemo, credo, nobis, niſi qui forte patientiam noſtram tentare velit, objiciat. Nam ſi adoleſcentes quum primum e ſcholis exierunt, aut illa ipſa quæ a magiſtris inchoata magis quam perfecta accipere potuerunt, per ſe ipſi perficere naviter atque expolire niterentur, aut ſi ad medicos ſe aut juris peritos conferrent, aut civilia officia ſtatim capeſſerent,

aut

aut ſtudio bellicæ laudis incenſi more majorum militatum aliquo proficiſcerentur, Turcarumque teterrimos illos impetus frangere ac propulſare a nobis omni ope conarentur: poſtremo ſi ſaltem rem familiarem, quæ eorum curam jam requireret, adminiſtrandam ſuſciperent; poſſem, Quirites, poſſem quid hæc tanta feſtinatio, quid hæc tam præceps in illis conficiendorum ſtudiorum celeritas vellet, aliquo pacto intelligere; nunc per Deum immortalem quid ego intelligam? quid cogitem? aut quid tandem rei privatæ aut publicæ intereſſe dicam, ſi citius ſerius uno anno adoleſcentes per urbem jugales agitent, flagello increpent, in circulis, in thermopoliis otioſi ſedeant, aut, ne quid gravius dicam, nocturnos illos matronarum cœtus frequentent? Sed his querelis, quæ alterius cujuſdam temporis ac loci videri poſſunt, quæ etiam, ut ait (*) quidam, quum neceſſariæ ſunt, ingratæ accidunt, temperabo; illudque potius a vobis majorem in modum petam, Quirites, ut ſi quæ hactenus a me diſputata ſunt, judicio veſtro probantur, auferri vos aliorum novis atque inanibus opinionibus ne patiamini; & quo-

(*) *Livius in proœmio lib. 1. Decad. 1.*

quoniam in hoc Romano Collegio quotidianas ſcholas, maxime eas quæ ad altiores diſciplinas pertinent, ita diverſis horis deſcriptas atque diviſas eſſe cernitis, earum ut plures veſtrûm qui velit, excipere quotidie poſſit, ita in hoc vobis ipſi, ut in epulis fieri convenit, temperetis: quas ut magnificentiſſime apparare ſplendidi ac liberalis eſt hoſpitis, ſic ejus qui invitatur atque excipitur, non dico temperantiæ, ſed omnino prudentiæ eſt, non plus, ſtomacho quam ferre ac concoquere poſſit, ingerere. Quod ſi a vobis fiat, polliceri vobis poſſum fore, ut qui ingenio mediocriter valent, eos tamen induſtriæ ſuæ apud nos poſitæ non pœniteat: qui vero ingenii laude etiam excellunt, eam doctrinam ex his gymnaſiis aliquando efferant quæ non ſemidocti cujuſdam, ſed illius demum veri germanique litterati propria eſſe judicetur. DIXI.

GRE-

GREGORII TERTII DECIMI P. O. M. LAUDATIO

HABITA ROMÆ MENSE APR. MDCCXXVII.

SI QUIS forte miratur, Cardinales Ampliſſimi, quid cauſæ ſit, quod omnibus annis, in hoc Romano Collegio GREGORII TERTII DECIMI, præſtantiſſimi Pontificis, optimique Principis, tanto jam ante tempore exſtincti recordatio, cum luctu, ac lacrymis, tamquam recenti adhuc vulnere, Oratoris repetatur, ac celebretur voce; eum ego ignorare prorſus

Digitized by Google

exiſtimaverim, has ædes, in quibus ſumus, atque verſamur, a GREGORIO Pontifice, cum olim poſitas a fundamentis, & excitatas, tum etiam reditibus, quibus hodieque alimur, probe inſtructas, atque ornatas fuiſſe. Hoc enim ſi ſciret, aut intelligeret, & id quod facimus mirari profecto non poſſet, & nobiſcum una beneficentiſſimi Principis deſiderio, ſi minus & ipſe commoveretur, at noſtri certe doloris, ac luctus, tam pie præſertim, & juſte ſuſcepti, rationem, cauſamque vehementer probaret. Quid enim artes optimæ non lacrymentur? liberales diſciplinæ non mœreant? humaniſſimæ litteræ ſemel ſaltem in anno, ejus obitu, ac funere non lamententur, a quo non modo vocem, qua lamentari poſſent, acceperunt, ſed vitam etiam, ac lucem, qua vivunt, quaque fruuntur, hauſerunt? Eo etiam accedit, quod eximia quadam GREGORIUS, ac ſingulari, planeque divina in noſtrum Ordinem voluntate fuit; eamque quibuſque rebus potuit (potuit autem plurimis, maximiſque) quoad ei vita, ac ſpiritus ſuppeditaverunt, noſtris hominibus declaravit. quo fit, ut eum & amare, & colere juxta ac ſi pa-

rens

rens noſter eſſet, debeamus; ejuſque morte, non modo ſingulis annis, ſed omnibus etiam vitæ horis, ac momentis, ſi fieri poſſet, mœrere. Quid? parum ne intereſſe putas utrum parentem lugeas, an alium? Alium ſi lugeas, habeas ſane modum in luctu, & certum aliquem dolori tuo finem vel ratio ponat, vel diuturnitas afferat: parentem vero ſi lugeas, nullum certum lugendi modum, nullum definitum tempus, nullum finem, nullos terminos eſſe oportet. Suſceptus ſemel dolor tam diu hæreat, quam diu pietas poſtulabit: tam diu autem pietas poſtulabit, quoad te beneficii quod a parente accepiſti, non pœnitebit. Itaque quod luctum, ac lacrymas a majoribus noſtris hereditate veluti acceptas in anniverſario GREGORII funere noſtrarum acceſſione augeamus, auctaſque ad poſteros etiam, a quibus augendæ deinceps cumulandæque erunt, tranſmittamus, nemo id ſane miretur: niſi vero quod pie, quod grate facimus, id ſcilicet alicui mirandum videatur.

Ac ne quis forte exiſtimet, mœrorem omnem, ac luctum, aut hujuſce unius Collegii finibus quodam modo includi, aut no-

ſtræ Societatis duntaxat proprium, privatumque eſſe oportere: hic ad vos etiam, qui adeſtis, magna ex parte pertinere debet. Nam ſi ut optimus quiſque eſt, ita maxime dolet, & commovetur, dum alicujus magnæ virtutis, ex qua præſertim beneficia etiam ad ſe derivari ſentiat, ex oculis jam ſublatæ, atque exſtinctæ recordatur; quo luctu, ac dolore vos eſſe oportet, qui & natura optimi eſtis, & beneficia quibus nos a tanto Pontifice olim ornati ſumus, quibuſque nunc fruimur, ab eodem communicata vobiſcum etiam videtis? Quod ſi æquum, juſtumque eſt, ut ad quos communis doloris acerbitas pervenit, eiſdem communis cum ceteris conſolatio aliqua, tamquam vulneri medicina adhibeatur: equidem libenter faciam cum noſtra, tum veſtra cauſa, Auditores, ut in communi dolore communis a me conſolatio afferatur. Et quoniam ad leniendum in nobis, mitigandumque eorum quos aliquando cariſſimos habuimus, deſiderium, plurimum ea res valere ſolet, ſi ipſorum ſimulacrum aliquod, aut imaginem, in quam intueri poſſimus, habeamus: jam ego perficiam, ut imaginem Gregorii, non illam quidem

dem his vulgaribus, & quotidianis pictorum coloribus adumbratam, ſed aliam quandam, quam cogitatione, ac mente informavi mea, veſtris oculis, ſeu potius animis contemplandam proponam. Hanc ego imaginem, Auditores, ſi minus eleganter, at certe ſatis ad vivum expreſſurus mihi videor, ſi ex ampliſſimis, & excellentibus tanti Pontificis laudibus, unam illam, illuſtrem maxime, atque præclaram, in qua ceteræ ejus continentur & includuntur laudes, ſelegero, illudque unice explicandum ſuſcepero, GREGORIUM Tertium Decimum **numquam non magnum** ſe præſtitiſſe. Hoc dum explico, peto a vobis, ut benigne, & attente verba mea audiatis.

GREGORIUS igitur numquam non magnum ſe præſtitit. Quî hoc intelligi poteſt? Primum quia, vel antequam Pontifex crearetur, magnus inventus eſt. Anno a partu Virginis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo e vivis deceſſerat Sanctus Pius V. qui qua fuerit vel virtute, vel gloria, quum virum nomino, ſatis mihi videor declarare. Cardinales ampliſſimi, ut Eccleſiæ orbitati conſulerent, & ſimul luctum, quem ex morte tanti Pontificis

per-æque-acerbum, ac juſtum ſuſceperant, creatione ſucceſſoris conſolarentur, abſolutis exſequiarum ceremoniis ſolemnibus, veteri more, & inſtituto ad Pontificia comitia conveniunt tertio Idus Majas. Poſtridie ejus diei res in deliberationem eſſe cœpit: ſex abeunt horæ: feruntur ſuffragia, dirimuntur, recitantur: conſtat Hugonem Boncompagnium omnibus omnium ſuffragiis Pontificem factum eſſe. O incredibilem in deliberando celeritatem! o inauditam poſt natos homines in re tam gravi feſtinationem! quid agitis, ſapientiſſimi Patres? tantam ne rem tam celeriter confectam eſſe? negotium tantum, tam grave, tam ſanctum, atque divinum, tantulo tempore ſuſceptum, procuratum, tranſactum? Si quo graviora negotia aguntur, ſi quo major eſt rerum aut dignitas, aut exſpectatio, eo plus ſpatii ad deliberandum requiritur: profecto (pace veſtra dixerim) non nihil vereor, ne iſthæc veſtra tam præceps deliberatio plus apud homines admirationis ſit habitura, quam gloriæ. Suſtinenda nimirum, non præcipitanda conſilia: cunctatione magis quam celeritate Reipublicæ conſulendum.

At enim iis temporibus erant ita ſeda-

ta

ta omnia, atque tranquilla, ut haudquaquam multum referret, paulo accuratius conſiderare, cui potiſſimum Eccleſiæ gubernacula in illa tranquillitate, atque otio regenda traderentur. Principes inter ſe conſentire: nullus tubarum clangor, nullus armorum ſtrepitus exaudiri, bella nulla impendere, nullæ perditorum hominum in Eccleſiam fraudes, inſidiæ nullæ: unoque verbo, ſumma ubique pax, ſumma tranquillitas. Ita ne vero? Summa ubique pax? ſumma tranquillitas? Utinam hoc totum genus tranquillitatis atque otii remotum a nobis ſemper, longiſſimeque depulſum, ad eos potius quibus Chriſtianum nomen non modo non carum eſt, atque ſanctum, ſed inviſum maxime eſt, deſpectumque, pervadat! Equidem invitus facio, Auditores, ut illorum temporum acerbitatem commemorem. Prô ſuperûm, atque hominum fidem! quamcumque in partem, oculorum aciem converteres, quid non aut turbulentum, aut procelloſum occurreret? Hiſpaniam cerneres Belgicis turbis implicatam, Luſitaniam clade Principis inflammatam, Poloniam de novo Rege ſolicitam, & in partes religionis cauſa diſtractam. Hinc ob u-

nius

nius Eliſabethæ ſcelus furere in bonos Anglia: hinc hæreticorum odiis atrocius in dies labefactari Germania: illinc Gallia inteſtinis acerrimiſque diſcordiis temere atque in incertum jactari. Quid vero hæc noſtra Italia? ut erat pæne afflicta, atque perdita ſuorummet Principum factionibus, atque diffidiis! Is erat rerum ſtatus, ea temporum ratio, tunc quum GREGORIUS factus eſt Pontifex. Sed age, nullæ fuerint rerum perturbationes: fuerit ſummum otium atque tranquillitas. Quid tum? continuo ne non etiam atque etiam conſideratum oportuit, qui vir ſupremis Eccleſiæ gubernaculis admoveretur? Profecto ſi navis aliqua & vectoribus frequens, & pretioſis referta mercibus, inter navigandum caſu aliquo gubernatore repente deſtitueretur: dubitaretur autem quis ex omni illa vectorum turba ac multitudine ejus regendo curſui ſubrogaretur: nemo noſtrûm, opinor, eſſet tam non modo imprudens, ſed etiam demens, qui putaret non admodum diligenti conſultatione opus eſſe, propterea quod faverent tum venti, fluctus quieſcerent, aſtra curſui obſecundarent, nec ulla prorſus, quamvis tenuis, tempeſtatis ſuſpicio ſubeſſet.

Quid

Quid igitur eſt? quod in re infinitis fere partibus leviori, nemo noſtrûm in hac ceteroqui mediocritate prudentiæ faceret, id fecerint Eccleſiæ Patres in re omnium maxima, graviſſimaque, in tanta præſertim temporum, quaſi fluctuum, perturbatione, atque motu?

At illud fortaſſe fuit. Erat mira paucitas virorum illuſtrium, atque magnorum, eorum qui adeſſent, quorum unice ratio in iis comitiis haberi ſolet; quo ſcilicet factum eſt, ut ſane quam facilis, & explicata foret deliberatio. Optime! cauſa videlicet reperta eſt. Deum immortalem! quot, & quales viri ad auguſta illa ſummorum Antiſtitum comitia convenerant! Si numerum, aut multitudinem ſpectes, aderant amplius quinquaginta: ſi dignitatem, atque præſtantiam, ex paucis totum genus cognoſce. Aderat Felix Perettus, qui aliquot annis poſt Xiſtus V. ſcilicet eſt renunciatus. Aderat Stanislaus Hoſius, Tridentini Concilii decus, & ornamentum. Aderat Antonius Columna, Proſper Sanctacrucius; quorum ille propter incredibilem quandam vel pietatis, vel doctrinæ præſtantiam, nullo non honore dignus putabatur: alter le-

gatio-

gationibus, Germanica, Luſitanica, Hiſpanica, Gallica, ſumma cum laude perfunctus, omnium populorum, ac gentium votis, ad ſupremum Eccleſiæ regimen expetebatur. Aderat clariſſimum illud totius orbis terræ lumen Carolus Borromæus. Aderat Joannes Franciſcus Commendonus. qua virtute! qua prudentia vir! Aderant denique ornatiſſimi ſpectatiſſimique viri plurimi, quos ſi velim perſequi ſingulos, infinitus ſim neceſſe eſt. Utrum igitur facilis, an contra difficillima deliberatio? Quod ſi & propter hominum præſtantiſſimorum frequentiam, & propter temporum atrocitatem, & propter ſummam denique ipſius rei quæ agebatur gravitatem, perdifficilem admodum, & implicatam deliberandi rationem eſſe oportebat; quid, obſecro, cauſæ fuit, quod de toto illo negotio maximo; & deliberatum, & tranſactum ſex horis omnino fuerit? Sed quid hic ago? quid vos diutius teneo, Auditotes? erumpat, erumpat aliquando vera vox, & tam celeriter deliberandi cauſa quæ fuerit, proferatur. Adeſte igitur animis, & quod dicturus ſum diligenter attendite. Deliberandi moram Boncompagnii ſcilicet ingens virtus, atque divina præcidit. Illa

du-

dubitationi præripuit locum. Illa voluntates conjunxit, animos copulavit, conciliavit ſtudia, ſuffragia Patrum veluti attraxit. Illa in tanto demum, ac tam frequenti clariſſimorum hominum cœtu, omnes, nec invitos, omnes, nec tarde, ſed incredibili celeritate ſuperavit.

Neque id vero mirum videri debet; non enim erant aut obſcuræ, aut nondum ſatis notæ, ac pervagatæ viri magnæ laudes, atque præſtantes. Prædicabant alii ejus in negotiis, vel ſuſcipiendis prudentiam, vel gerendis dexteritatem, vel conficiendis felicitatem. Alii divinarum, humanarumque rerum ſcientiam ſingularem: alii tuendæ religionis ſtudium acre, atque incenſum: alii pietatem in ſuperos, beneficentiam in pauperes, fidem in amicos, æquitatem in omnes celebrabant. Repetebant, quam ſæpe in graviſſimis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, tum Paulum III. tum Paulum IV. conſilio, diligentia, labore adjuviſſet. Memorabant, ut in Tridentino Concilio, ſanctiſſimo illo, graviſſimoque orbis terræ Senatu, tanta apud omnes & innocentiæ, & doctrinæ opinione floruerit, ut non ſine quodam præſagio multa jam

tum ejus vocis oraculo ſancirentur. Occurrebat provincia Latium, cujus in procuratione ejus tam caſte fuerat integreque verſatus labor, ut futuri Pontificatus rudimenta quædam illuſtria in ea provincia poſuiſſe videretur. Occurrebat Gallia, atque Belgium; quas duas ille regiones, non tam paſſibus, quam alte preſſis ubique virtutum veſtigiis peragraverat. Occurrebat denique Hiſpania, quæ perdifficili ad Philippum II. legatione fungentem, adeo ſuſpexerat, ut ea digniſſimum poteſtate judicaret, cujus majeſtatem ut integram retineret, nullam omnino habuiſſet regiæ vel gratiæ, vel offenſionis rationem. Et miramur, tanta animorum conſpiratione, tamque incredibili in ſuffragando celeritate, Pontificem factum eſſe? Egredere igitur, GREGORI, ex ſacris illis ſeptis, atque repagulis, quæ virtus tua illa magna, quaſi nullis includi poſſet anguſtiis, tam celeriter perfregit ac rupit: egredere, inquam: da te in conſpectum: ſolium aſcende: & quoniam magnus ante ſuſceptum Pontificatum repertus es, id age, id cogita, in eo labora, ut magnum quoque ex altiſſimo illo dignitatis gradu te præſtes. Extenuat nimi-

nimirum, Gregorii; contrahitque res quamvis maximas altitudo, nec ſtatuam ingentem adeo reperias, cujus proceritatem excelſitas loci, atque longinquitas, quodammodo non abſorbeat. Sed ridet ſcilicet Gregorii virtus ſimplicitatem noſtram, qui magnitudini ipſius ab excelſitate loci metuamus.

Hoc mihi vere dicturus eſſe videor, Auditores, ex omnibus humanis rebus, nihil eſſe tam difficile, nihil tam arduum, nihil quod majorem cujuſquam in agendo vel dexteritatem, vel prudentiam requirat, quam virorum Principum animos regere, voluntates moderari, temperare conſilia, ſtudiis denique, ac cupiditatibus commode opportuneque intercedere. hoc enim qui recte, atque ordine facere poſſit, nec ob eam rem quidquam omnino apud illos offendat, eum nos & vehementer ſuſpicimus, & communi judicio ſententiaque in magnorum virorum numerum vere ac merito recenſendum eſſe arbitramur. Quod quum ita ſit, Auditores, quid ſi doceo, ac planum facio, tanta Gregorium apud Principes auctoritate valuiſſe, eorum ut animos, ac voluntates nutu regeret, atque huc, & illuc quo vellet, torqueret,

& fleĉteret: utrum illum magnum, an potius maximum appellabitis?

Sed quid hic prius, quid poſterius commemorem? dicam ne, Mantuanum, & Nivernenſem, de finibus quum acriter inter ſe diſſiderent, unius GREGORII judicio acquieviſſe? An vero Alphonſum Ferrariæ Ducem ad pacem cum finitimis civitatibus faciendam adduĉtum eſſe? Dicam ne, acerbiſſima diſſidia inter Hieroſolymarium Ordinem, & Magnum Hetruriæ Ducem, bona utrimque gratia, compoſita eſſe, atque ſublata? An magis inter Gallum, & Hiſpanum ſubortas offenſionum cauſas, antequam in belli flammam erumperent, peropportune reſtinĉtas, ac ſuffocatas fuiſſe? Obruor equidem, Auditores, rerum præſtantiſſimarum multitudine, ac varietate, ut multa mihi aut omnino prætermittenda ſint, aut ſolum leviter perſtringenda. Quæritis, quis Sigiſmundum Auguſtum cum Cæſaris Sorore divortium facere maxime cogitantem, ab eo omni conſilio ſententiaque dimoverit? Quæritis, quis inviĉtiſſimum illud belli fulmen, Joannem Auſtriacum ab obſidenda Genua deterruerit? Quæritis, quis Luſitaniæ turbas illas ſedaverit, diſſenſiones diremerit,

odia

odia placaverit? GREGORIUS ſcilicet. Quid vero illa? Monet Maximilianum Cæſarem, ut amicitias cum Hæreticis Principibus, jam diu initas, atque contractas, diſſolvat: diſſolvuntur. Monet hujus filium Rodulphum, ut Lutheri nefarios aſſeclas, qui ſe Viennam receperant, urbe, & tectis ejiciat: ejiciuntur: ut Lutherianæ factionis ducibus, in Auguſtanis comitiis obſiſtat: obſiſtitur. Monet Carolum IX. ut Gaſparis Colinii partes in Gallia inſectetur, Hugonotas eliminet, exterminet, deleat: factum.

Nec vero eſt quod miremini, Catholicos Principes tanto fuiſſe in GREGORIUM obſequio, qui iis ipſis qui ab Romana Eccleſia abhorrebant, maxime obſequentibus uteretur. Saxoniæ dux Auguſtus falſa dogmata per ſuos præcones diſſeminat. Ea res GREGORIO non placet. Ab incœpto deſiſtit: metu ne, an reverentia GREGORII? incertum. Veruntamen ſive metu, ſive reverentia fecerit, id certe fuit tum GREGORIO glorioſum, tum Catholicæ Religioni maxime ſalutare. Sveciæ Rex Joannes III. officii ſui a GREGORIO peramanter admonitus, ſaniora conſilia ſuſcipit: Catholicæ Religio-

Digitized by Google

nis inſtituta commendat, legitimos ſacerdotes arceſſit, fovet, amplectitur. Utrum hactenus ſatis? non eſt ſatis. Ex Gregorii conſilio, atque auctoritate, veteres amicitias & cum Horangio, & cum Eliſabetha Regina firmatas jam & corroboratas reſcindit. Jam vero quid de Moſchorum duce Baſilio loquar? Is iracundia, ac furore ardens, cum firmiſſimo exercitu, & maximo in Germaniam impetum facere minitabatur. Res ad Gregorium defertur. Quid hic, Auditores, a Gregorio deliberatum, quid ſuſceptum, quid actum, ut a Germanorum cervicibus tantam perniciem, ac peſtem averteret, exiſtimatis? an maximos delectus militum habitos? conductas copias? comparatos exercitus? An denique Catholicorum Principum animos, ad frangendam hoſtis ferociam, ac ſalutem Germaniæ communibus viribus defendendam, legatis, aut literis excitatos eſſe arbitramini? nihil horum omnino; alias enim artes, alias machinas adhibendas, alia tela, alia arma, ut potentiſſimum, ac ferociſſimum hoſtem cohiberet, comparanda, atque opponenda eſſe judicavit. Quid igitur tandem egit? rem totam paucis accipite.

Qui

Qui plurimum ſæpe periculi, ac damni in mora poſitum eſſe non ignoraret, nihil cunctandum ratus, calamum illico arripit: litteras exarat: Antonio Poſſevino, homini idoneo in primis, & gravi, qui Duci quantocius perferat, tradit. Is quanta maxima celeritate poteſt, in Moſcoviam pervenit. ibi plena omnia militum, plena tumultus offendit. Litteræ ſtatim redditæ. eas Princeps reſignat, legit; quid tum? continuo fracti impetus, placata mens, arma poſita, reſtinctum bellum, conſecuta pax, Germania metu, & periculo liberata. tantum apud hominem ingenio ferocem, iracundia inflammatum, rebus proſperis inſolentem, & ab Romanæ Eccleſiæ communione ſejunctum GREGORII auctoritas valuit. Quid vos ad hæc, Auditores? qui veſter eſt ſenſus? quæ veſtra exiſtimatio? quod veſtrum tandem judicium? qui Principum animos tam facili negotio, quocumque velit, adducat; eoſque, tamquam arbitrio ſuo, ac poteſtati divinitus traditi eſſent atque commiſſi, ab iracundia ad lenitatem, a furore ad manſuetudinem, a diſſenſione ad concordiam, a cupiditate belli & armorum ad ſtudia pacis atque otii tradu-

cat, ac revocet; eum ne magnum, planeque divinum hominem appellare dubitabitis?

At hoc quidem minime mirum. Quid enim, inquiet aliquis, Principes ſibi obſequentes non haberet, qui iis omnia, quæcumque poſſet, vel ornamenta dignitatis, vel ſubſidia ſalutis tribueret? Etenim quis ignorat, unius GREGORII beneficio, & huic Moſcho, qui proxime eſt nominatus, pacem cum Sarmatis conciliatam, & Stephano Bathoreo Poloniæ regnum aſſertum, & Herneſto Bavaro contra Truchſeſii impuriſſimi hominis magnas opes, & gratiam, ingentem vim pecuniæ in uſum belli & armorum, ſubminiſtratam, atque erogatam fuiſſe? Ita profecto eſt; non nego: immo vero, ut hæc quam facile patiar GREGORIO objici intelligatis, multa præterea eſſe hujuſmodi fateor, atque etiam prædico. Quid? nonne Joannem Auſtriacum fœderatorum aſtu circumventum in Belgio, opportuno pecuniæ ſubſidio, a ſumma rerum deſperatione in novam ſpem revocavit? Nonne Ceïlanorum Regi Romanum nomen, opemque imploranti, jacenti prope & afflicto Pontificiam fidem, dexteramque porrexit? Hibernia, & Scotia Eliſabethæ ſce-

lere,

lere, & furore laborant. Nobiliſſimarum provinciarum gemitus Romam ad GREGORIUM delati. Quid vero ille? num fluctuat? Succurratur, inquit, ſtatim. Opus eſt pecunia? erogetur. Milite? conſcribatur. claſſe, navibus, commeatu? Pontificiis ſumtibus comparentur. Atque hæc, ut dicta, ita facta ſunt, & comparata omnia.

Hac igitur tanta liberalitate, Principum animos a GREGORIO ſibi devinctos, ac conciliatos eſſe, ſi vultis, haudquaquam ſane pugnabo. quid enim majus, aut fingi, aut excogitari unquam poteſt, quam eos ipſos ~~unde ceteri mortales~~ beneficiis obligari ſolent, beneficio tuo obligare? Quamquam, ut verum fatear, Auditores, tam raras, ac luculentas obedientiæ, & obſequii ſignificationes, ſi ad ſingularem illam GREGORII, atque excellentem in viros Principes beneficentiam, tamquam ad unicum fontem, cauſamque referendas eſſe arbitraremur, obſtreperent quodam modo, ac reclamarent ceteræ ejus virtutes, ac dotes; & ex communi laudis gloriæque poſſeſſione injuſto a nobis judicio expelli ſe, ac deturbari conquererentur. Reclamaret Prudentia, quæ tamquam aſſidua GREGORII comes,

ac moderatrix, ejus & conſilia, & dicta, factaque omnia condiebat quodam modo, ac temperabat. Reclamaret Juſtitia, quæ in cognoſcendis dijudicandiſque, ſi quando exſiſterent inter Principes, controverſiis, ejus ita & animum, & judicium regebat, ut æquitatem ſententiæ utraque pars, tum quæ ſuperior, tum quæ inferior diſcederet, commendaret. Reclamaret illa in rebus agendis animi firmitas, ac Fortitudo, quam nullæ unquam nec difficultates, nec objectæ formidines, aut terrores, ab incœpto, ac propoſito deterrebant. Reclamaret illa morum facilitas, illa comitas, illa Caritas, illa in omnes æquabiliter pertinens cura, ac providentia, qua cum potentiſſimis viris, tamquam cum liberis parens agebat, idem amantiſſimus, ac prudentiſſimus, ut quum nulli præter ceteros faveret, nulli impenſius ſtuderet, nullum eximium haberet, æqualiter omnes amaret, foveret, complecteretur; ſinguli tamen exiſtimarent, ſe gratos illi præ reliquis, acceptoſque eſſe, ac principem in ejus gratia voluntateque locum tenere. Reclamarent denique innumerabiles aliæ ejus dotes, atque virtutes, ſive quæ ad voluntatem, & mores, ſive

quæ

quæ ad animi judicium, & intelligentiam pertinent; ac pro ſe quæque partem aliquam ex illa laude decerperet, & occuparet; unaque omnes contenderent, communi ſtudio, operaque perfectum eſſe id quod uni Liberalitati falſo a nobis adſcriberetur.

Sed utcumque res ſe habeat, Auditores, illud jam maneat, fixumque ſit, proprium omnino GREGORII fuiſſe, in Principum animos, ac voluntates quodam modo dominari, nec quemquam fere vel natura, vel moribus, tam immanem, ac barbarum repertum eſſe, qui ſe morigerum illi, atque obſequentem præbere, glorioſum ſibi fore non putaret. Poſſem hoc loco commemorare legationes ornatiſſimas, ex Ægypto, ex Perſide, ex Æthiopia, ex Indiis uſque Romam ad GREGORIUM miſſas. Sed una illa Japonum, illuſtris maxime, ac prima poſt CHRISTI principatum ex ea regione legatio ad ſe vocat, & rapit quodam modo orationem meam. O diem illum beatiſſimum, atque ad omnium ſeculorum recordationem multo jucundiſſimum, quo die adoleſcentes duo regia ſtirpe, præclara indole, ſummæ probitatis laude ſpectatiſſimi, ex inſulis Japoniis, quarum nomen propter immenſam

fere

ſere interjacentium terrarum, ac maris longinquitatem vix ad Romanas aures pervenerat, officii, & obſequii cauſa ad Gregorii Pontificis Maximi pedes acciderunt! Vidiſſetis optimum ſenem peregrinos juvenes complexu excipientem. Vidiſſetis perfuſum gaudio ſimul, & lacrymis, quum primas illas ex Antipodum hortis, Deo quaſi fruges offerret. At nullum ne gaudium mortalibus ſtabile eſſe, atque proprium! Nullum ne eſſe lætitiæ genus, cui aliqua ægritudo repente non intercedat! prô dolor! tanta hilaritas, tanta lætitia, tam incredibilis omnium ordinum gratulatio, ſubita morte ſanctiſſimi, atque optimi Principis obruta eſt. En omnia in luctum mœroremque converſa. Prodeunt in funus flentes, ac mœſti regii juvenes, quos paulo ante Gregorii charitas complexu ſuo peramanter exceperat. Accurrunt hoſpites ex Britannia, Helvetia, & quavis mundi plaga extorres, quos ut exſilii ſui non pœniteret, ejus beneficio, ac liberalitate perfectum erat. Advolant ſqualidæ, ac mœſtæ familiæ totæ: eæque inprimis quas e Cypro profugas ſeptenis aureorum millibus in menſes ſingulos recreaverat. Lugent virgines,

gines, quarum fuerat conſervatus pudor: lugent viduæ, quarum ærumna, ac ſolitudo ſuſtentata: tum ad materni luctus imitationem, luget & ipſa puerorum tenera ætatula. Quid vero e trivio pauperes, & mendici? ut gemunt! ut plorant! ut pheretro gregatim ſe, ac temere affundunt! Reflectunt oculos, triſtes, ac pallidi ad illud os, ad illum vultum, ad illam præſertim manum, exſanguem jam, & ceſſantem, manum, inquam, illam, unde alimenta, unde ſtipem, unde congiarium toties acceperant. Quid multis opus eſt? omnes ordines, nationes omnes, mœrent, & afflictantur; & quamvis lingua, ac voce diverſæ ſint, lacrymis tamen, fletu, comploratione, vultu denique ipſo non diſſident. omnes enim cum gemitu ac lacrymis illam tantam liberalitatem, illam magnitudinem tam divinam requirunt. Verum o iniquas hominum querelas! o injuſtum fletum! o complorationem GREGORIO pæne dixerim injurioſam! quod GREGORII funere commoveantur, dolore ardeant, intimis animi ſenſibus crucientur, angantur; id ſane intelligo, atque etiam laudo: quod vero divinam ejus tum li-

beralitatem, tum magnitudinem e medio prorſus ſublatam eſſe tam miſere lamententur, in eo certe faciunt inique. Sed dandum ſcilicet aliquid dolori eſt, qui ea quæ vel oculis expoſita ſunt, atque patent, aliquando non videt. Nos vero, Auditores, revocemus ſane e luctu, ac lacrymis orationem, & ſuperſtitem adhuc GREGORII Pontificis magnitudinem intueamur.

Ac ne longe abeamus, oculos quæſo veſtros ad hanc tantam Urbem, in qua verſamur, convertite. Quæ regio, quæ via, qui locus, in quo non exſtent hujus tanti Pontificis, cum liberalitatis, tum magnificentiæ ubique impreſſa veſtigia? Habetis apud Vaticanum, in ædibus quidem Regiam maximam, atque ambulationem, in templo autem ſacellum omnium magnificentiſſimum. Habetis Civitatem Piam exædificatam, & auctam: habetis horrea in Diocletiani Thermis adverſus annonæ difficultatem excitata ſubſidia. At quantula hæc ſunt, ſi cum iis quæ reſtant, conferantur? Cernitis fora ſalientibus ornata, Cœlimontanam portam conſtructam, Sanctæ Mariæ hoſpitalem domum nova ædificatione porrectam latius, atque explicatam. Cernitis Romanam Aca-

de-

demiam inſtauratam, Typographias ad litteratorum hominum ſubſidium comparatas. Nam quid ego Eugenii Porticum magnificentiſſime reſtitutam? quid viam rectam ad Lateranum patefactam? quid Conſtantini Baptiſterium laquearibus exornatum? quid illas Quirinali monte Pontificum ædes primum impoſitas dicam? Porro quid attinet commemorare tot ac tanta in hac una Urbe Collegia? Nota hæc quidem ſunt vobis, Auditores. Eſt ſuum Anglis prope Campum Floræ Collegium: ſuum Græcis in Flaminia: ſuum Maronitis ad radices Quirinalis: ſuum Germanis, & Hungaris prope Circum Agonalem: quo quidem in Collegio unius fere liberalitate GREGORII aluntur; ejuſque & legibus, & inſtitutis optimis, atque ſanctiſſimis etiam nunc reguntur juvenes amplius centum, nobilitate, virtute, litteris florentiſſimi. Itaque, ut locum aliquem GREGORII liberalitate, & magnitudine vacuum reperiatis, ex hac Urbe egrediamini neceſſe eſt. At quem tandem iſtiuſmodi locum reperietis? In Picenum venias? occurrit Anconæ portus novis operibus, ac munitionibus circumductus. In Æmiliam te conferas? occurrunt Raven-

næ paludes, magnam partem exſiccatæ: occurrit maritima ora adverſus Turcarum repentinos impetus, incurſioneſque munita. Sed agite jam, alpes tranſmittite, in Galliam uſque venite: occurrit nobilis urbs Avenio. quo opere, quo molimine munita? Satis ſit illud commemorare, decies centena aureorum millia in illud opus conſumta eſſe. Sed orationem tenere ego, Auditores, non poſſum, quin e Gallia, in Auſtriam, in Styriam, in Bohemiam, in Lithuaniam etiam excurrat: quibus omnibus in regionibus, aliiſque præterea ſatis multis, magnificentiſſima ubique Collegia, tamquam Catholicæ religionis arces, ac Fidei firmiſſima propugnacula, ſingula ſingulis fere gentibus conſtituta ſunt. Sed hæc quidem in Europa. quid illa vel apud Indos poſita prædicem? eo ſcilicet etiam ad inhoſpita illa, & barbara litora Gregorii Charitas navigavit: eo Liberalitas appulit: eo Beneficentia pervaſit, hodieque etiam apparet. Omnino res ita ſe habet, Auditores. Si regionem, aut locum aliquem, in quo nullum opus, nullum monumentum, nullum denique excellens, atque immortale Gregorii Pontificis beneficium appareat, reperire

perire volumus, ex ipſo quoque, quam late patet, terrarum orbe nobis migrandum eſt.

Quamquam ne id quidem eſt ſatis; quippe quum immenſa regionum ſpatia, terrarumque infinitos propemodum tractus liberalitate ſua GREGORIUS complexus eſſet; nullumque ſibi, quem beneficiorum ſuorum luce recreare, & illuſtrare poſſet, relictum locum jam eſſe cerneret: veritus, ut ego quidem interpretor, ne benemerendi conſuetudinem illam veterem intermittere, beneficiorumque ſuorum immortalium perpetuum quaſi curſum interrumpere aliquando cogeretur; mente & cogitatione altius evectus, & iis quæ infra lunæ curſum, ac viciſſitudinem poſitæ ſunt atque jacent, relictis rebus, in Cœlum uſque pervaſit; ibique animo quum excubare cœpiſſet, & pontificiæ curæ ac ſolicitudinis, in lucidiſſimos etiam illos orbes partem aliquam contuliſſet: reperiſſet autem omnem jam inde a multis ætatibus, dilapſam velut diſciplinam aſtrorum, totiuſque anni perturbatam diu, & aberrantem rationem, de qua ceteroqui componenda, ſtabiliendaque aſſidue a mathematicis laboratum, frequenter agitatum in Synhodis, a Sanctiſſimis

Patri-

Patribus diu multumque cogitatum, quæſitumque fuerat; eam, præſtantiſſimorum Aſtronomorum opera adhibita, omniumque fere gentium rogatis ante cognitiſque ſententiis, ita certis legibus compoſuit, adſtrinxit, firmavit, ut ne tantulum quidem in perpetuum nutare, aut fluctuare poſſe videretur. O providentiam Viri ſingularem! O conſilium! O mentem omnibus ſeculis prædicandam!

Sed Orationem excurrentem jam longius, & evagantem, e Cœlo, & aſtris in hanc rurſus Urbem retrahamus; ut in hoc Romano Collegio, tamquam in portu aliquo conquieſcat. Quæ ſit hujuſce ædificii pulchritudo, quæ dignitas, quæ majeſtas, quum per vos ipſi videatis, nihil me attinet dicere: quid vero publicæ utilitatis vel in Religionem, vel in optimas artes, ac diſciplinas, ex his ſcholis, ex his gymnaſiis, ex hoc certo veluti ac ſtabili ſapientiæ domicilio derivetur, id ego malim judicio veſtro reſervare, quam in Oratione mea ponere. Quod ſi vobis præſertim, qui hæc gymnaſia frequentatis, Adoleſcentes optimi, nonnihil utilitatis, ac fructus ex induſtria noſtra ad vos redire videtur; ob eamque rem nonnulla vos, ut eſtis ingenuo, & liberali

ani-

animo, erga noſtrum Ordinem tenet gratia: id certe nobis & gratum, & jucundum maxime accidit. Sed ita, quæſo, gratiæ, & voluntati erga nos veſtræ temperetis, ut ne, dum grati nimium erga nos eſſe vultis, parum forte grati erga GREGORIUM, unde hæc profecta ſunt, reperiamini. Itaque ſi quid boni, vel commodi ex noſtrorum hominum opera, diligentia, labore, vigiliis ad vos redundat, aut in poſterum redundabit, cogitatione a nobis avocata, GREGORIUM, GREGORIUM, inquam, reſpicite. Illius nomen, illius memoriam exoſculamini: illi gratiam, illi memorem ſaltem animum rependitote: illi denique quidquid id eſt boni quod percipitis ex nobis, tamquam Parenti optimo atque amantiſſimo acceptum referte. Quod ſi grates optimo Principi agendæ a vobis ſunt immortales, quanto id magis a nobis præſtandum eſt, qui ab ipſo, tamquam a fonte aquam, ſic beneficia accepimus, quibus & utamur ipſi, & ceteris quoque prodeſſe poſſimus?

Itaque mentem ac cogitationem tuam, Te enim jam appello Beatiſſime GREGORI, ex ſanctiſſimis illis ſedibus, & Immortalium Concilio, in quo, ut pie a nobis re-

ligioſeque creditur, jam diu vivis, atque verſaris; pauliſper huc adhibe, atque converte; & qui noſter in te ſit ſenſus, quæ mens, quæ voluntas; tibique a nobis quantum deberi fateamur, ac prædicemus, intellige. Magna profecto, magna abs te accepimus beneficia: tuis enim ſumus opibus recreati, facultatibus aucti, decretis honeſtati, auctoritate muniti: atque hæc quum per ſe ipſa maxima ſint, tamen hoc pluris æſtimanda etiam a nobis ſunt, quod a tanto conſilio, a tanta prudentia, a tanta demum in omni genere laudis præſtantia profecta ſunt. Quod enim judicio tuo graviſſimo, & maximo ornati ſumus, id nobis ſane præclarum eſt, & ad omnis poſteritatis recordationem glorioſum. Pro quo judicio tuo, atque excellenti in nos amore, ac beneficentia, utinam publico Societatis nomine, id quod facere debeo, tibi ſatis ornate gratias agere poſſem! Sed ignoſces ſcilicet dicentis inopiæ, & oratoris facultatem tenuem, opinor, non aſpernabere. Tuæ enim ſunt hæ qualeſcunque literulæ: tua hæc qualiſcumque vox, quæ beneficio tuo ad hoc oratorium opus informata olim fuit, atque erudita. Sed erunt, erunt aliis

in

in annis poſt, qui & hoc multo ornatius, quam nunc ego, facere poſſint: & ad divinarum laudum tuarum ampliſſimum patrimonium, ſi minus pro dignitate; hoc enim fieri vix poſſe puto; at aliqua certe commodiori via, atque ratione laudandum, ac celebrandum majorem quamdam afferant & artis, & ingenii facultatem. Quod ſi perpetuum etiam ab oratoribus futurum eſſet ſilentium, ſi linguam, ſi vocem, ſi vitam denique, ac ſpiritum amiſſuræ aliquando forent hæ literæ, ac diſciplinæ: nullo tamen unquam tempore, vel ætate, hæc aula, hæc tecta, hi parietes, hæc denique muta ſaxa, atque inanima de tuis laudibus conticeſcent; & dum aliquot ſaltem rudera, aut quamvis tenue hujus tanti Collegii a te poſiti, atque fundati veſtigium aliquod apparebit, meritorum tuorum in noſtrum Ordinem excellentium, atque immortalium, exſtabit memoria ſempiterna.

Digitized by Google

Pauca hæc quæ ſequuntur Carmina, quod ſerius ad nos pervenerint, propterea in calce voluminis poſita ſunt.

JOANNI BAPTISTÆ FAGIUOLIO
CAROLUS ROTIUS
Soc. Jesu S. D.

Sospitem, & incolumem tanto poſt tempore, quum te
  Ingenti nuper non ſine lætitia
Adſpicerem, Gnatique tui jucunda, Phegaule,
  Mentio nos inter crebrius incideret,
Indole quem tanta ornatum, & præclara minantem
  Invida Mors campos miſit ad Elyſios;
Non potui (quamquam me triſtia juſſa medentum,
  Muſarum abſterrent dulcibus a ſtudiis)
Non potui ipſe tamen, capitis quin funera cari
  His, tibi quos mitto, verſibus exſequerer.
Nam quæ ſcripta fuere olim (& ſervantur apud te)
  Quæque mihi puero ſcilicet exciderunt,
Haudquaquam ſunt digna efferri lucis in oras,
  Incomta, & nullis perlita luminibus.
Nec me animi fallit, multo haud meliora futura
  Hæc quoque; nam morbo ſcribimus impliciti,
Ipſaque mens animi defecto in corpore languens
  Vix potis eſt unum extundere verſiculum.
Utcumque eſt, ſequor officium, non murmura famæ;
  Hoc unum tibi me poſſe probare ſat eſt.

IN FUNERE
FRANCISCI XAVERII FAGIUOLII
ELEGIA.

Immatura mei gemerem quum fata Phegauli,
  Commiſſum Parcis objiceremque nefas,
Accepit Stygia gemitum, & convicia ſede
  Atropos, & multo infecta rubore genas.

Si

Si qua fides, inquit, nollem feciſſe, ſed error
  Nimirum facto detrahit invidiam.
Grandia dum primæ miramur cœpta juventæ,
  Excultumque animum dotibus egregiis,
Et ſtudia, & mores dignos jam Cœlite, & alte
  Magnorum exſtructam tot meritûm ſegetem,
Illum credidimus pluſquam pro parte virili
  Perfunctum veſtræ munera militiæ.
Hunc tamen errorem (ne ſævi, ſancte Poeta,)
  Emendaturæ, qua licet arte, ſumus.
Quantum illi ereptum eſt, tantumdem accedet ad annos
  Patris, & illius quod fuit, hujus erit.
Vix ea: confeſtim concordi numine Divæ
  Lanificam penſis impoſuere manum.
Ante pedes ingens lanæ melioris, in uſum
  Haud temere expromi ſuetus, acervus erat.
Nempe olim ut perhibent (terrarum quum ſola nondum
  Deucalioneis merſa ſub æquoribus
Fruges atque herbas, alimentaque cætera vitæ
  Efferrent, quam nunc, vividiore ſatu)
Illo largifice paſſim de vellere Parcæ
  Nebant longævis ſecula Terrigenis.
Inde ergo ſumunt. ſibi dulcia penſa videri,
  Mirari & ſolito plus ſibi poſſe manus.
Sponte ſua feſtinat opus, nulloque labore
  Torquentur fuſis licia raſilibus.
Vincunt Tithoni, vincunt Pyliique ſenectam
  Neleidæ, & canæ tempora Deiphobes.
Phœbus adeſt, operique favens dum penſa miniſtrat,
  Pulcher & in longa carmina veſte ſonat,
Intentaſque tenet cantu: velut excita ſomno,
  Ex improviſo de tribus una ſoror
Quid facimus? clamat: fuſos inhibete, ſorores:
  Plus juſta en ductum lege fefellit opus.
Dixerat, & demtura fuit. Ne demite, Parcæ,
  Phœbus ait: fati pondus & error habet.
Quæ fuſis ſunt ducta ſemel, rata tempora ſunto:
  Nec meritum vatis munera tanta prement.
Non eſt ille gregi ſimilis collatus inertum,
  Quos odit; natos nec ſibi vita velit:
Qui ſumtu annonam incendunt, rituque ferarum
  Non ullo norunt vivere conſilio

Indo-

Indocti, molles, ſtolidique, & ſcilicet uno hoc
  Gnavi rem patriam perdere luxuria.
Vincat io, vincat priſcæ confinia vitæ
  Ille vir antiqui moris, & officii,
Egregiuſque idem vates, Thuſcoque lepóre
  Adſperſos ſolers fundere ſuaviloquos
Verſus, quos, quum læta agimus convivia Divi,
  Formoſæ referunt ad citharam Charites.
Atque utinam ut vitæ ſpatium, ſic commoda poſſem,
  Divitiaſque datis cenſibus adjicere!
Fata obſtant. ſiquidem poſtquam Jovis ira coëgit
  Me extorrem vaccas paſcere Theſſalicas,
Nil poſtliminio veteri de ſorte recepi
  Præter neſcio quam Bellerophontis aquam.
At bene, ut in duris, res vertit, * Corſius ille
  Dives, & antiquis clarus imaginibus,
Magnanimos imitatus avos, nec paſſus egere,
  Cenſuſque expertes vivere Pieridas,
Æra viro large procedere menſtrua juſſit.
  O facinus, quo non dignius hiſtoria!
Heus Parcæ, quos vivat, ei annos addite centum.
  Sic ait, & viſæ ſunt capite annuere.

* *Antonius Corſius de Marchionibus Cajaci, bonarum artium Patronus, & Cultor.*

FINIS

DO-

DOMINICUS CASOTTI

Societatis Jesu in Provincia Romana
Præpoſitus Provincialis.

Cum Poemata varia, & Latinas Orationes a Patre Carolo Antonio Rotio *noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptas, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, autboritate nobis a* R. P. Francisco Retz *Præpoſito Generali communicata, facultatem concedimus, ut typis mandentur, ſi ita iis ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Officii noſtri munitas dedimus.*

Romæ. 17. *Septembris* MDCCXL.

DOMINICUS CASOTTI.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. F. Paolo Antonio Agelli, Inquiſitore di Padova, nel Libro intitolato: *Caroli Rotii Florentini e Societate* Jesu *Carmina, & Orationes*, non eſſer coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Giuſeppe Comino*, Stampatore in Padova, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 31. Luglio 1741.

(
(Alviſe Mocenigo Val. Rif.
(Giovanni Querini Proc. Rif.

Agoſtino Bianchi Segretario.

Reg. in lib. a c. 10.



PATAVII. CIϽ IϽCC XLI.

Apud JOSEPHUM COMINUM.

Index orationū.

Nusquam melius, quam Romae, litterarum studijs consuli. Oratio 1. ——— pag. 95.
De aptitudine puerili. Orat. 2. ——— pag. 140.
Gregorii XIII. Laudatio. Orat. 3. ——— pag. 165.

Digitized by Google

Digitized by Google

Google